Summa Meralis

THEOLOGIÆ

sive

Exegesis tripartiti operis

SOLOMONICI

metris conscripta, nunc primùm edita.

Authore Iohanne Dawson *Clerico, è Collegio Ædis Christi Oxonienſis in Artibus Magiſtro, Sacris Incumbenti apud Maydenhith in Comitatu Berkenſi.*

Adnotata in fine diligenter carminum Genera in uſum Poeticæ ſtudioſorum.

LONDINI,
Excudebat Johannes Norton, pro Richardo Thrale & væneunt ab eodem ſub ſigno Clavium in vico D. Paul. Anno. Dc. M.DC.XXXIX.

3165. de 8

AD

DIVINVM PRINCIPEM CAROLVM DEI GRATIA MAGNÆ BRITTANNIÆ FRANCIÆ ET HIBERNIÆ Regem, Fidei Defensorem &c.

EPIGRAMMA IOHANNIS DAVVSON Clerici.

ACcipe permissâ Solomon Britannice Dextrâ
Antiqui referens hoc Solomonis opus.
Non velut Ipse dedit, nec iniquæ Pallade versũ,
Quale sed officio sit vetus, arte novum,
Arte choris hominum quæ suggerit omnibus usũ
Carminis officium commemorare suum:
Solùm ita materia est claro quia rege profecta,
Te claro hoc dignum Rege fuisse putes;
Nil sublime sapit, præter vestigia Vatis,
Qui sceptrum & Sophiam debuit ipse Deo:
Hæc sequitur methodo, specie, brevitate, modo;
Vt nova plus rebus, quam sibi forma daret

Quicquid & ipſa poteſt, magis apta movere, teneri
Reddere, perfectis Rebus id omne tulit:
Quod tamen ingenio negat hic minùs alta Poeſis,
Formæ operis veræ donet id omne favor,
Non de Parnaſſo quærens Proverbia, ſed quæ
Natiuæ repetunt ſimplicitatis iter:
Principis, id ſat erit, fiat ſi Ancilla Legentis
Pagina noſtra Sacros a Solomone Libros.

Candido

Candido Lectori.

Mice Lector, Solomonem tibi interpretaturus inter tot expositionum volumina, operæ-pretium fore putavi, si novam & faciliorem viam aggrederer, te ad præcipuum ejus finem perducendi. Quum enim animadverterim Mores hîc ex proposito doceri, & seriem eorum describi, quæ vitam potiùs perficiunt quam fidem, apparuit Carmen optimum Instrumentum hæc nativo suo vigore & officio expediendi, ut nihil desit intellectui, nihil redundet grave memoriæ, sed sint omnia novo modo verè quæ fuerunt, & usum ac utilitatem suam mensurent perfectione sensus, quam personant.

Nollem equidem Rerum Novarum (si qui sint) studiosos sequi, nollem temporum morumq; indagatores nimis curiosos imitiari, nolle in singulari aliqua opinione delectatorum arrogare mihi nomen

notamq; ; nec Quibulcum veriſſima, certiſſima, ſanctiſſimaq; omnia promitterem, qui talia non perſolvunt, nec poſſunt mortales perfecta tradere. Id præcipuè vellem, vereq; in vita ad vitam præcipuum, ut omnes piè honeſtèq; vivendi rationem amplectantur, in una illa fide, quam Eccleſia Catholica conjunctim tenet, conſentientes, meq; partem hance ſummæ illius Normæ tractantem ita comitentur, ut ad Normam etiam recurrant pro veritate, ad me, pro veritatis fido quâ potui teſte ac interprete: Credendum eſt enim S. Scripturis, nec non Scripturas explicantibus, ſed jis ut abſolutè veris, his ex convenientia, quibus fides vel æſtimatio accedit ſuo reſpondens merito.

Sanam ergo viam & ſibi ſuiq; ſtudioſis proponit ille Divini Verbi Explorator, qui juxta notiſſimam hanc Beat. Hilarii Regulam incedit Lib. 1. de Trin. quâ prudentiſſimè affirmavit Optimum Scripturæ lectorẽ eſſe, qui doctorũ intelligentiam expectét ex dictis potiùs quam imponat, & retulerit magis quam attulerit, neq; cogat id videri dictu contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum.

Et hæc ſtatuiſſe viſum eſt in ipſo Li-

mine

Rei tractandæ ad formam, quâ induta progreditur, deveniam.

Metrica quidem operis structura est, quia hanc aptissimam judicavi, non quâ consequerer nomen sublime Poetæ, sed humilimi Paraphrastæ, & memoriæ amici acceptationem: hæc votorum summa, atq; incitamentorum, quibus adductus sum talem susceptis habitum contexere. Inde etenim Lectorem delectandi (non displicendi) spes emersit, quòd ubi carminis naturam æquè perspicerer, sciret nihil altiùs, nihil aptiùs in animo posse consistere, nec ulla ullius generis scripta magis observatioi necessaria, retentioni idonea, usui expedita conciperet, quam hæc inclita Sapientissimi Regis Proverbia, quæ a Rege Regum nata sunt.

Eò etiam libentiùs me ad opus sic effformandum contuli, quo plures viderem non modò doctrina Christiana imbutos sed & sacris distinctos Ordinibus componendi Carminis se Literatis exemplum præstitisse: Quò liquet hoc non apud Ethnicos solos morem obtinuisse: Nam ulteriùs ad Hebraica usq; tempora penetrare libuerit, occurrent testimonia, vel plu-

mas *Scripturæ* partes ſtricto hoc orationis genere mundo fuiſſe porrectas: ita ut non facile ſit ſtatuere, utrum *Summus* ille laudabilium *Artifex* per *Gentiles* an per *Suos* patefecerit Carminis inventionem: Non diſſitemur hoc advana, ſordida, veræq; religioni contraria diſſortum prodijſſe; ſed & verba ſoluta in hunc uſũ ſæpiùs degenerasſe quis dubitat? ſic enim naturâ ſuâ præſtantiſſima coguntur ſæpe in malos fines, nil tamen obſtante, quò minùs priſtino reſtitui poſſint decori.

Hinc placuit *Antiquitati*, nec eruditæ magis quam renovatæ, *Artis* hujus paleſtræ vacare; Adeo ut tranſactis primis temporibus quibus latiùs ſeſe *Gentilis* error diffuderat, vix priùs cæpit *Chriſtianus Orbis* fieri, quin cæpit etiam ſanctæ ſuæ profeſſionis laudes Poeticè decantare.

Sed ut omnes hujus *Artis Candidatos* perſcrutari difficile eſſet, et ſupervacaneum, ita ſi ullos ex illis tantùm præcipuos quoſdam referre expediet· Et quidem *Iuvenci Hiſpani* non latet ſũma in hac parte indũſtria, qui *Conſtantino* & *Conſtante* Imperatoribus potiſſimũ florens, præter *Cantica* aliquot *religioſis modis* aptata, Quatuor *Evangelia Hexametris* verſibus conſcripſit. Ipſum deniq; inter

ter *Sacerdotes Christianos* relatum fuisse produnt authores veteres.

Temporum deinde versato ordine *de Damaso* testabitur ad Dignitatis Ecclesiasticæ fastigium evecto, se & hac inter cæteras præclaræ Indolis notas viguisse, quòd & *Poemata* & hymnos sacros ediderit: *Prudentium*, vel *Ambrosium* nominare, satis erit eorum in hoc genere innuisse studium: alios non adducere, quos ætas novissima recentiores tractat, ipsa suadet mediocritas scribendi: Dictu sufficit, ipsos in hoc Camænas excolendi Methodo *Antiquitatem* integerrimum habuisse ductricem, hortatores *Probos Doctos Potentes*: Quotquot viam hanc ingressuri sumus, ab utrisque capiamus exemplum; a quibus licet multum distemus excellentiâ, speremus tamen laudaturos fore imitatione.

Persuadeat Alijs negotio huic operam aliquam dare idem, qui & illis persuasit, finis. Nam si Poeticam ipsam consideremus, huic mira ineſt concitandi animi potentia, mira delectandi facultas, mira ad res propositas attrahendi vis et energia: Qualis est instrumentorum sonus auri, talis est versuum cordi, ut & utrumq; rectè applicatum veram Musicam dicas.

Ex qua Metempſychoſi (ut ita dicam) vel intima ſimilitudine tantùm placuit veteribus, quantũ videmus, Poematum compoſitio: æſtimantes eam, quò propiùs accederet ad Muſicæ rationem, eò potentiorem eſſe ad mores hominum informandos; habet enim & hæc, ſicut illa, ſuum numerorum concinnitatem, ſuas modulationes, ſuam harmoniam, cujus ſi finis optimus attendatur, idem eſt, quem omnes illius amiciſſimi optant ſtudentq; (Referente Natal. Comite Lib. 1. Mytholog. cap. 4.) ut homines meliores efficiat.

Sed me ſui indignum habet hæc Ars encomiaſten, niſi Legentis gratia accurrat in tanto Ingeniorum nunc blandè ludentium choro; meq; pro me infirmum habeo Oratorem niſi denuò, quos Rerum gravitas delectat, tollat. Opus hoc an poematis an Pomati affinis Paraphraſis locũ obtineat, qualecunq; videtur maximè ſcopum reſpicit, quem priùs oſtendi eſſe omnium cujuſcunq; generis optatiſſimum, utiliſſimum.

Quod de verſibus Iuvenci Sacroſancta Evangelia ad hunc morem referentibus tradit Pet. Crinitus de Poetis Latin: Lib. 5. cap. 10. ſe majori diligentia uſum fuiſſe in ſervanda Rerum Hiſtoria, quam in demon-

ſtranda

ſtrandâ ingenij ſui elegantia, illud ut meis competeret omninò curavi, priuſquã Rẽ verbis aut ſyllabis metiri contendi, ſũmè neceſſariã exiſtimans continuã Proverbiorum iſtorũ memoriã, frequentiorẽ meditationem, dexterrimã aut noſtri aut aliorũ informandi gratiâ comemorationẽ, qualẽ dicti factivè ratio tempeſtiva poſtulabit: Quæ omnia quũ fiant carmine, ſi minùs eleganti fiant, excuſabunt tame apropoſitũ Benevolentis, & Rem ipſam, non ſuam, in ſimplicis ſimo concipientis uſu.

Iam vero dũ expoſitionis titulũ huic præfigo, ſi quis opponat brevitati, cjus vice reſpondet alijs uſitatiſſima hæc ſacræ Paginæ conſtructio, & ipſa originalis veritas, ſi uſpiam brevitatis capax hic potiſſimum, cujus nomen & diſpoſitio (ut facilimè videatur,) ſuccinctiſſimo gaudent ſtylo: Idem vel Proverbium, vel Adagium diverſis vocibus nuncupamus, non diſſimili proprietate; Proverbium quod pro celeberrimo verbo ſtans, ad ſimplicis etiam verbi formam proximè accedat; Adagium, quòd ſit ad agendum aptum; & juxta illam Actionem quam verbis tribuimus, quis non aptiſſimum ad eruditndum breviſſimum judicabit Eloquium, quod prolixitatem habet,

nec

nec relegi, nec repeti, nec reportari tam facilè ſcimus.

Sed ut pulchra omnia non uno modo pulchra ſunt, ita omnia orationis, aut orationè tractatorũ genera non uno modo brevia ſunt, non æqualis in omnibus requiritur menſura, ſed ubiq; ut reſpoſcant, temporis æquitatem optimam dicimus brevitatem.

Hæc quum Proverbia ſint, idcò & compendioſiſſima cernimus, & cõſentaneam expetere alijs verbis dimenſionem. Nec Proverbia tantùm inſcribuntur, ſed etiam Parabolæ, vox, ſi ad Etymon revocetur, Rerum comparationem ſignificans, ut quæ naturâ ſuâ diſſimilia ſunt, naturæ tamen reſpectu aliquo ſimilia reddantur, oriente hinc ſenſum pleniùs & exactiùs intelligendi facultate; ſæpe enim quod multiplici diſcurſu indigeret, comparatione una, quaſi celeberrimo exemplo breviſſimè intellectui noteſcit: ſingulas paræmialis iſtius Analogiæ ſpecies, quæ hic obſervantur, perducerem ad eandem metam: ſed generale Quoddam ſuccinctæ eruditionis compendium ſtatuere partes ipſæ demonſtrent, ne proœmium cætera non admittat.

Secundum Operis volumen quod Eccle-

ſiaſtæ

siastæ titulum gerit, etsi res continet quoad circumstantias ampliores, non multò tamen laxiore connectit modo, quam primũ; utrobiq; par titulo & conditioni numerus retinetur, ut non illud magis breve, hoc longum putes: Egregium sanè sit hic *Divinus* noster *Ecclesiastes* cuilibet, & *Ecclesiastico*, alijque *Ordini* exemplum, qui dum æquam brevitatem observat, docet: sed ad me præsertim hæc refero, quæ alijs refero tantùm vel scientibus vel studentibus quid sequantur optimum. *Librum* hunc ut & priorem, suo more, sibiq; similimum reddere cura fuit, & *Totius* materiam complecti maximè idoneis præsenti operæ verbis; Quare nec varietati Carminis studui, sed usitatissima genera usitatissimis rebus designavi.

Nec ad illam me incitavit admirabilium ille *Canticorum* sequens *Thesaurus*, quòd multiplici *Poeticorum Contentuum* ornatu proferri aptè possit, sed ratio potiùs *Stephani*, Musarum in quas ipse incubuit studiosis commendata *Epilogo* quodam in fine *Psalmorum Davidis* græcè reddit: Qui versus (uti inquit) suos non tanquã exemplar quo sequerentur, sed tanquã exemplũ quo incitarentur proposuit: ut sic *Musã* meã quãvis rudẽ *Deo Optĩ. Max.* consecrãdo alios peteren

ſuis præſertim Aris deſponderent primos affectus, ſummas animi potentias, et Muſas qui velint, quantò poſſint, elegantiores: Quia verò Parti huic ineſt ſenſus ſolito profundior, adeò ut rectè dicatur Paradiſus æquè myſticus ac delicioſus, æquè reconditum, ac in ſe dulce Manna, ubi nec ſolatium ſine ſtupore, nec dulcedinem ſine profunditate percipere poſſumus, totumq; opus idem Allegorijs conſiſtat, ad Exegeſin reducere in eo genere quo priora, ſi non tantũ neceſſitati tribuit, uſui ſaltem impertit, & utilitatem habet ſuam; augeat devotionem Metaphraſis, quam accendit ipſe Textus, et ſi hic proponitur omnibus ut legatur, illa, ut ſæpius legatur faciendo, debitæ conſiderationi addit, & nos in ſanctiſſima Rei inſcrutabilis veneratione relinquit.

Sic ergo volui præbere formam hanc aptam materiæ, materiam ex forma Poetica paratiorem, ad quam proximis duobus Libris innatam reſtat convertere, ut breviter, fructus illius aliqui prælibentur.

Complectuntur hi duo Solomonis Libri totam moralem doctrinam, quæ paſſim per Sacrum Volumen diſponitur, ut hic no quaſi intuitu perſpicere liceat quæcũ; ad vitam rectè inſtituendam pertinent;

quæ-

quæq; alibi vel diffusiùs, vel prolixiùs docentur, hìc quodam cõtinuo, et in se coarctatissimo versantur gyro: dum occurrant etia. perspicuitatis causa ea sæpe quæ præcesserunt, & maturâ reversione sensum ingeminant cum verbis : Hæc ad perlegendum, perscrutandum , exercendum invitant Primarij *Authoris* summa dignitas, summus amor; non tam propinquo gradu Solomonis, quam Dei sunt hæc Proverbia verba; sed tradit per venerabilem servum suum, sicut per alios alia quæ præsertim suæ Autoritati ascribi, Gratiæ deberi voluit: unde liquidò apparet exactissimæ istius pietatis Normæ eminentia, ac pretiũ, supra omnes, quas naturalis ingenij Lux adinvenit, vel industria perpolivit.

Ὑποτύπωσις Actuum humanorum mensura S. Scriptura est, Summa Philosophia Theologia, quæ cùm credenda simul et agenda docere officij sui partes agnoscat, in hoc Scripturarum tractu potissimũ ad Agenda se confert, Pietatis Praxin conjungit, et Θεοσέβειαν seu Divini Cultus plenam aliquam depingit effigiem. Hæc vero vbi præminent in Doctrinam Morũ distinguũtur: non quod contemplativa fidei Principia ad Virtutum Christianarũ studia quodammodò non conducant,

&

& excitent; & quòd hoc loco non aliqua etiam de *Deo* & *Servatore* noſtro feratur ſcientia, quæ ad *Inviſibilia* Eorum *myſteria* attollit: ſed quia per ſe primò quæ ſpectant tantùm ad γνῶσιν, atq; inviſibilem *fidei oculum* non ſic ſpectant etiam ad *Mores*, quodq; inſuper opus hoc quæ conſummant, omnia fere ad *Actionem*, & *Scientiæ*, *Virtutiſque* dirigunt exercitium; Eâ igitur de cauſâ *Specialis Normæ* modũ refert, ad quam facta humana debent quadrare, ut *Deo* placeant, & in eâdem complexa Morum Doctrina *Moralis Theologia*, vel *Theologica Moralium* non immerito dici queat: Hoc *Centrum Rei* eſt, quo tacto vergit in *Periodum* Epitola.

Illud ergo in medium ſeu potius in mentem omnibus referre ſtatuebam, quod breviſſimo intervallo, & facilimâ inſpectione certam *Homini Chriſtiano* benè beatèque vivendi formulam deſcriberet: hanc dixi in *Proverbijs* & *Eccleſiaſte* per ſe *Divina* plane fabricâ, ceu optimo *Paradigmate* monſtrari; cui ut accederet conveniens ad præpoſitos fines *Metaphraſis* veluti hac ipſâ, quam ſic edidi, laboravi: ſi verò *Originalis* non reſpondeat *Perfectioni*, nec habeat eminentiam, reſpondet tamen *menſuræ* et habet verecundiam; ex hac igitur, vel illa vel utraq;

utraq; si boni operum suorum *Ductores* evaserint qui perpendunt, sat erit voventi.

Hic parvo adhibito *Labore*, bona *Mente*, immensus percipitur fructus, hic omnis *Ordo*, omnis *Ætas*, omnis *Intellectus*, omnis *Appetitus* quid sibi expediat, discat, vel *Antidotum*, vel *Salutem*, vel *Remedium*; hic accuratissimè patet *Sacratissima* & *indefinita potestas Principis*, quid á *Principe* reddendum est *Deo*, a *Subjecto Principi*; quid debet *Inferior* quisq; cuiq; *Superiori*; quid *Superior Inferiori*, quid pares paribus, quid singuli singulis, quid ipsi sibi, quid *omnes Omnipotenti*: Hic pueri, Juvenes, Senes Ætati suæ morũ aptent indumenta; hic *Novellus* æquè sapiat, ac literis Provectior, plano undiq; apparente fluvio in quo & *Elephas* ambulet, & *Agnus*: hic virtutum fomes ac vitiorum *Anticyra*: ac ne pluribus morer, hic omnium *Pietatis* actuum, modorum, graduum per totas *Scripturas* occurrentium *Pericope* quædam, ac *summa* est: Interea *simplex* hæc ac restricta materia pari modo tractari si non exigens, quærens, pari etiam animo si in hospitium ducatur, *Bonum* quod quærit, facit.

Morali Sapientiâ ut nihil in se apertius,

&

& umbra facoq; omni remotius, ita illum
veſtitu humiliore præberi gaudet, quò ma-
gis non veſtis ſed vultus aſpiciatur, nec ex-
ternâ, ceu in Alijs ſpecie ad Rem tranſitus
moraretur. Sicut enim quæ primario ad vi-
tam pertinent naturalem facilimâ parantur
inventione, ſic quæ inprimis ad vitam ſpe-
ctant bonam (dictante Ratione) facilime
inveniuntur Paratu: non reſpectu ſui, ſed
noſtri perplexâ virtutis viâ.

Ipſa equidem Sophia eſt, & Summa
Philoſophia, quam omnes ſanæ mentis de-
ſcriptionibus Virtutũ & planis & pictura-
tis attinere vellent: Ipſa, ad quam alluſiſſe
quid ſi putetur Mercurius, incantatâ virgâ
Divinoq; plectro (ut blandiuntur Poetæ)
quos vellet ſopore captans, ſolvenſq; ? quid
ſi Orpheus, & Amphion, quorum alter rigi-
da moviſſe ſaxa, alter quercus & ornos tra-
xiſſe Citharâ fingitur, fecerunt certè quod
voluntatem laudaret & artem: ſi verò inter
nos aliqui ſint his impares dicendo, ſuperi-
ores tamen dicendo ſũmè vera quis negat?
circa hæc doctiſſimi Ethnicorum hallucì-
nati ſunt eloquentiſſimis ſcriptis, quæ fide-
lium imperitiſſimi ſine cortice (ut aiunt) in-
venere, Divinæ obſequentes Gratiæ; pe-
hanc confudit Deus Mundi ſapientiam, ne
tame

tãen ideò exterminavit plures docẽdi modos.

Venerabilis ſtetit Chaldæa illa ſapientia Mathematica, quæ in Moſe viguit et Daniele; Naturalis et Politica, qua excelluit Solomon; Rationalis & Rhetorica, quas Apoſtolus ipſe *Paulus* deduxit a Græcis, imò nullum ſcientiæ genus eſt, quo pars aliqua videatur veritatis, quin hoc meritò pretioſũ ducimus, non diffidentes ſũmam veritatem, præqua cæteræ ſcientiæ ſordent, ab eo Luc ẽ aliquam poſſe mutuari; Nihilominùs, neceſſe videtur hanc ſimplici etiam habitu cõplecti, & aliquas eſſe formas, quibus velut citiſſimis pennis, in ipſius conſpectum tollamur.

Notitia illorũ, quæ Rationali vitæ conveniunt, traditur quampluriũ ſcriptis naturaliter tantũ *Doctorũ*: hæc Fabulæ ſubnotãt, oſtẽdũt Theſes Ethicæ, Politicæ, Metaphyſicæ, nec adverſatur lux naturæ Legi Divinæ, imo convenit potiùs & Ancillatur, licet non ad hanc immediatè perducendo, promovendo tamen ab hac rite informata: Quicquid Divinæ voluntatis reſiduũ illud primævæ ſcientiæ non tam perfecto ſubdit ordine, nec ad illũ omnino finem, hæc perfectiſſimè revelat, optimam deſignans Metam: Nos interim dum nec aliquo ſine emolumento naturæ proxima legimus, quæ ſuper Naturam deſcen-

descendunt simul & ascendunt caveamus negligere, imò sic *Sacra* legamus, ut quod inter *Prophana* vile, ac vanum est, sciatur, & negligatur; quod bonum, & laudabile, in præstantissimos usus convertatur; aliter, sicut inquit D. *Bernard*: *Sermon*: *De Don. Spiritus Sanct. c. 1. Omne virtutum ædificium, illico vergit in præcipitium, si fidei & gratiæ amiserit præsidium.*

Vult ergo *Deus Optim. Max.* omnes tam teneris quàm provectis annis cognitionis *Sacræ* studio operam navare, illis quosque, qui conveniunt remis, illo qui fieri potest, profectu: Ad hoc Intervalla sua semper habuit *Iuventus*, ut completam ætatem indueret, observatione confirmante illud sibi in duritiem crescere, quod frequentiùs lenior ipsius *Testula* imbiberit, ad hoc etiam Seniorum cura suspiravit, ut magis magisque S. *Scripturarum* perfectione valerent, in quibus alta sunt, & humilia, aperta & obscura: Vnde refert D. *Augustinus* Lib. de *Doctrina Christian:* Cap. 6. *Spiritum Sanctum* has ita modificasse, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret, ut exerceremur his, pasceremur illis.

Scripturis etiam quò longiùs versantur homines,

homines, uberiora cum fructu carpunt gaudia; temperatur earum familiaritate natura, & de dura flexibilis, de invitâ alacris redditur: videntur tandem, quales verè sunt, *Homerico* lætificiores *Nepenthe*, cumulatiores, quàm fictis *Pandora* donis, bonitate.

Deinde quò tales Legentibus operentur effectus, qualium ipsæ in se causas habent, accedit ad *Lucem lux*, & Verbi Author *Spirit*: *Cælestis* largitur imploratus intelligendi veniam quod proposuit. Hinc orti sunt veterũ *Interpretum* ad nos deducti Labores; hinc, qui novos puteos faciunt, potestatem accipiunt exhauriendi aquas: unàq; emanare *Ius & Iudicium Ecclesiæ* discernendi inter Verbi explicationes, quæ cuique proposito succurrunt, quæ sensum propiùs intuentur, aut remotiùs, quæ cum *vero* consentiant vel dissident: ac dum omnes ad *vocem Dei proximam* examinat, Hanc *Lydium* lapidem, se fidelem *Arbitrum* pronunciat.

De mea sententiam posco, qualem humile *Rectè* scribendi studium apud mansuetè Probos inveniat: Nec summæ difficultatis nec levis momenti subjectum hoc in genere, quod tracto; sed

omni

omni parte ſũmam Veritatem optavi verâ reddere expoſitione, etiam ſi non optimâ, non politâ, non prolixâ contigit.

Verbum Dei quaſi Gladius anceps (ad hoc alludente Apoſtolo Heb. 4. 12.) non diſſimili interpretandi modo exerceatur, quod, licèt varijs repugnat ſenſibus contrarijs, permittet tamen alluſivos: ex ſequentibus ſi qui Metam non attingant, Intuendo ſaltem demonſtrent, ad ſtudij incitationẽ & auxilium: Nec, quoniam ſenſus copioſos intra ſe cadere prohibuerunt breves verborũ Limites, ideò prorſus inutiles fiant. Sortitur Abſtracta ſenſuũ comprehenſio officiũ ſuum in Scripturarum Indagine, ſicut & ipſam earũ Lectionem cũ ſanis omniũ ætatũ Laboris hujus partem agnoſcimus, ut in memoriã recurrant, nec ullis prorſus incognitæ maneant: Aliqua in longitudinem procedere Natura Rerum vetuit, quæ cuncta in Infinitum.

Coronidis loco Philomuſũ monerem, ut non expectet in ipſâ poematis formâ tã varios colores, quam Picturis merè Poeticis conveniunt, quas cùm in ſuo genere & delectare & prodeſſe concedimus, non detrahimus ſuſta ſtylo triſtiori, ad exprimendũ res ſũm & ſimpliciter veras adhibito. Nec tam in

cogni

ognitum hoc eſt ut teſtem requirat, occur-
unt in omnium Poetarũ operibus præcepta
uædam moralia pede humilimo tenden-
ia, & induta verborum veſte ſimilimâ nu-
æ Veritati: Neceſt qui rectè miratur Virgi-
ium vel Ovidium in cæteris, qui non laudat
n his: Si enim ex vocũ varietate numeros
ptè contexere Artis Poeticæ ſit, certè veri-
atem bteviter in numeros referre ipſius Po-
ticæ perfectio eſt. Libertas hæc eſt Inventi-
nis ut ſe quandoq; laxiùs exporrigat, ac ve-
uti per ſylvas campoſq; ſpatietur, nec inte-
im ſine cauſâ hos aut illos floſculos decer-
it Corollæ interſerendos, vel quia a ſimpli-
i vero in fucum Natura pronior degenerat,
quandoq; Artificioſum poſcat remediũ,
el quia luſus ſaleſq; Rhetorici ſtudiorum
int Oblectamenta, & Limæ quædam ani-
nos ad contemplationem acuentes ſerijs
iter contuſos: His igitur tempus & grati-
m impertimu ut ad virtutẽ ipſã nos quodã-
odo conducant, in cujus ſolius ſcholâ ut
udia noſtra rectè inchoamus, ſic & perfice-
neceſſe eſt: unde ſi continua Præceptorum
ries Authore quovis elaborata, nobis ſe le-
ndam offerat, (ut in ſequenti etiam Para-
hraſi contingit) Plures eſſe ſpero, qui tam
ilia quam dulcia aſcribunt Oeconomiæ

Literariæ,

Literariæ, nec ea solum probantes quæ ma
gis *Genio* arrident qui suspiciunt se sic *C*
tionem reposuisse ut recipiant: qui sciunt i
Orbe Musarum aliqua naturâ graviori no
adeo molli eloquētiæ venâ procedere, ordi
strictiori non tam undantem verborum co
piam admittere: sed in *Versionibus* his præ
cipuè, non quem volumus, sed quem pos
sumus observandus modus est, quarū con
ditio optima requirit, ut sint *Fons* & *Riv*
quasi *Hippocratis Gemelli.*

Atque ita Te meis studijs, me tui
Benevole Lector dimitto, utriusq; gratum
sperans animorum interventum, præsertim
in compendio hoc, quod *Literarum* studio
sis facilè *Sacras Artes* exponit, quo gene
dum Perfectiores respiciunt Tyrones
discant, quò magis utriq; Rem ipsam i
memoria teneant, Necessitate quadam
ducti *Tesserâ* illa *Divinâ* Actionibus præ
veniendi.

Va

PARAPHRASIS IN LIBRVM PROVERBIORVM POETICA.

CAPVT. Primum.

Schelomo exposito usu libri docet sapientiam in reverentia Dei & studio ejus versari; ad eam homines provocat: & dehortatur a studijs omnibus contrarijs, tum propter naturæ legem, tum propter verbum Dei; quod in obsequentibus minas gravissimas, obsequentibus verò pacem denunciat.

Nclita grandiloqui Solomonis Adagia, nati
1. *Davidis, Solimæ sceptra gerentis opus.*

Lustranda? ad sophiã, morũ seriemq; bono-
2. *Verbaq; Consilii percipienda Ducis.* (rũ,

Ad capienda etiam scitæ documenta Minervæ,
3. *Quæ probitas, quæ jus, judiciumq; ferunt.*

Prædendasq; simul cautas rudioribus Artes,
4. *Et juveni solidæ cognitionis opes.*

Attendet Sapiens, & erit sapientior; æquum
5 *Carpet & ad Musas Ingeniosus iter,*

Pandat ut in vulgus quod abit sub cortice dura,
6. *Et veteres dubiè quæ cecinere Sophi.*

Ianua Doctrinæ Domini Reverentia, spernunt
7 *Iudicium stolidi, Consiliumq; negant.*

Auscultа monitis fili dilecte Paternis,
8. *Et Matris stabili mente statuta tene.*

Illa tuum Sacro cingent Diademate frontem
9. *Et collo aurati Torquis ad instar erunt.*

Si te peccantum lactaverit impia turba,
10. *Verte pedes, aut si dixerit ore fero,*

Sanguis ut in pretium nobis fluat artis, adesto;
11 *Furtivas subeant innocuiq; plagas:*

Non secus ac tumulus vivos, ut eosq; voremus,
12. *In puteum toti qui cecidere cavum.*

Omnimodas referemus opes, pretioq; nitentes,
13. *Cuiq; erit & spolijs accumulata domus.*

14. *Sors eadem maneat cunctos, crumena sit una:*
15. *Respue Consortes Nate vias q; fuge:*

Ad mala concurrunt celeres, fusoq; cruore
16. *Hostiles properant se maculare Pedes.*

Sed labor incassum est, jacitur dum rete cavatum
17. *Ante oculos late prospicientis Avis.*

Hac ratione sui meditantur sanguinis haustum:
18. *Et sibi fatali cingitur ense latus.*

Talis iniqua fames Auri, via talis avarum,
19. *Vita quibus raptis præda sit una bonis.*

Prædicat

Prædicat æqua foris Sapientia, mittit & altas
20. In plateis voces Conſpicuiſq; locis.

Plebs vbi congreditur, latèq; patentibus vrbis
21. Clamitat in portis, talia verba ferens:

O fatui quò veſtra ruit dementia! quantum
22. Parvule conſilij ſpernis, inique boni!

Me frænos adhibente caput convertite, fundam
23. En animam vobis, claraq; verba fluent.

† Sed quia, quum tulerim voces, audire negaſtis,
24. Quumq; manus dederim, vos repuliſtis opem.

Nil mea moverunt animos præcepta fidesq;
25 Abfuit emiſſis ſepiùs ante minis.

Vos etiam extremis ridebo cladibus hauſtos
26 Et mihi ludibrio fama timoris erit.

Quum ſubito irruerit timor, & quaſi turbine miſta
27 Ingruerit clades, interituſq; ferox,

Tum votiva ferent ſuſpiria, tunc ego ſurda,
28 Mane cito repetent, tunc ego ſegnis ero.

Turpe quòd ex monitis odium per pectora crevit:
29 Et jacuit Domini Nomen inane Timor.

Vtile conſilium fruſtra fuit omne ſequendi,
30 Mentibus & reperit nullâ Querela locum.

Hos ergo comedent fructus, & opima laborum,
31 Hæc opus ingenij eſt, hæc ſpolia ampla ſui.

Ipſos Infantum laſcivia deſtruet, ipſos
Sordida ſtultorum gaudia diripient:

Sed qui noſtra tenet commiſſa, fruetur amœna
Pace, timore procul ſe retrahente mali.

CAPVT. Secundum.

Schelomo hortatur ad reverentiam Dei, fidem & ſanctificationem, adductis promiſſionibus ejus de bono, & ſalute noſtra, ac liberatione ab omni malo.

SI dicta Patris (mi Nate) receperis al-
Pectoribus juſſus condereſq; meos, (mi,
Et facilem poſthac tribuas hortatibus aurem,
Præceptiſq; fidem corde volente feras.

Palladis imploret ſi vox tua munera doctæ:
Sive petant artem recta tenere preces.

Si velut argentum quæras, velut ardua terræ
Præmia diſcutias, quæ latuere ſinu:

Tunc nitor accendet Divini pectus honoris,
Luxq; per obſcuras ibit aperta fores:

Nam datur auſpicijs cæli Sapientia Regis,
Pieriumq; ſacro profluit ore melos.

Fraude dat experti quærentibus arte ſalutem,
Armat & innocuas viribus ipſe manus:

Calli-

Callibus invigilat custos gradientibus æquis,
8 *Et nusquam Sanctis cura fidelis abest.*

Iustitiam sapies, sapies & jura perita,
9 *Æquaq3 & in rectum qualiacunq3 ferunt.*

† *Cordis ubi fuerit Sophia in penetrale recepta,*
10 *Fulserit atque animæ grata Minerva tuæ.*

Te superante malum Sapientia sistet in arce,
11 *Cautaq3 præsidio mens erit usque sibi.*

Ne capiare dolis verum simulantis iniqui,
12 *Morosi & fugias verba, viasq3 chori.*

Qui claras monstrante vias virtute relinquunt,
13 *Et tenebris fragiles implicuere pedes:*

Fert quibus eventu facinus solatia diro,
14 *Delitias q3 animus concipit, unde nefas.*

Lubricus obliquos quos distrahit error in angues
15 *Cæcaq3 perverso corripit ira gradu.*

Tutus ut obsistas peregrinæ cassibus, aures
16 *Illecebris tentat dum peregrina novis.*

Quæ duce neglecto profugam sinit ire juventam
17 *Atq3 sacram turpi mutat amore fidem.*

Hospitio fundata sibi, Domus ipsa sepulchri
18 *Vestibulum, & passus ad Phlegetonta ferunt.*

Non patet ijs reditus, placuit quibus improba scorti
19 *Ianua, nec vitæ semita læta patet,*

Tu potius recto justorum tramite gressus
20 *Dirige, te calles contineant q̃ boni;*

Nam q̃ colent terram justi, ac lata arva tenebunt
21 *Qui studio exercent fraude vacante dies:*

Sed cladem impietas statione revulsa subibit
22 *Prava q̃ scindetur de grege turba virûm.*

CAPVT. Tertium.

Schelomo pios ad reverentiam Dei, fidem & obsequium, ac sui abnegationem vocat elegantissimis promissionibus: & confirmatis illis auctoritate Dei ab omnibus mundi istius avocamentis dehortatur proposita veritate iudiciorum Dei.

1 *NVlla meas (Fili) tollant oblivia Leges,*
Sed pia Succincto comprime jussa sinu;

Nam q̃ dies multos, spatiosa q̃ tempora vitæ,
2 *Pacis & æternæ fœdera sancta dabunt:*

Te nec vera fides, nec q̃ te clementia fortis
3 *Deserat, at circum colla monile liga:*

Cordis & hæc manda tabulis; Sic præmia junges
4 *Parta favore hominis, parta favore Dei:*

† *Pendeat e Domino spes unica mentis amico,*
5 *Nec tua te teneant brachia plena dolo:*

Vsq̃ tuis rerum captis agnosce parentem,
6 *Fortunaq̃ comes, qui fuit author, erit.*

Non

Non tibi te ſenſus ſapientem præbeat error,
Sed Domini ponas in ſcelus omne metum.

Inde Salus tenero, conſurget agillima ventri,
8 *Oſſibus inde tuis alma medulla fluet.*

Quæſitis venerare Deum tibi Rebus, & omni
9 *Primitijs reditum parte ferentis agri:*

Sic ſtata grandeſcent Cererealibus horrea donis,
10 *Sic liquido erumpent torcula ſumma mero.*

† *Ne Divina feras indignè verbera Nate,*
11 *Nec quum corriperis, langueat alma fides:*

Namq; Parens Rerum virgâ, quos diligit, aptat,
12 *Vt puerum, gaudet quo ſuperante pater.*

Felix, cui pretium Sapientia ceſſit agenti,
13 *Contigit & ſacra Cognitione frui:*

Nam parit Argento magis utile fœnus adepto,
14 *Dulcis & eſt Auro plenior illa Lucri.*

Nobilior Gemmis; & quæſitis omnia tentet,
15 *Æquali non ſunt conſtituenda gradu;*

16 *Dextra annis, opibus & honore ſiniſtra refertur,*
17 *Huic aditus lati; Pax niſi nulla via eſt.*

Fructibus eſt Arbor vitalibus alma colenti:
18 *Qui tenet, & pulchræ pignora ſortis habet,*

Ima per hanc Dominus terreſtri mole locavit:
19 *Fixit & Æthereas orbe micante domus.*

Ignotosq́ suo perrupit acumine fontes,
20 *Nubibus & tribuit rore tumere levi?*

Hac pervestiga (Fili) atq́ inventa tuere,
† 21 *Tamq́ memor, quam sis consiliyq́ capax:*

Sic fore nostra scies animæ documenta Saluti,
22 *Sic ornamento faucibus illa tuis:*

Sic explorato tibi tramite certius ibis,
23 *Et pede defiges non titubante gradum,*

Sic latus intendes gelidæ formidinis expers,
24 *Strataq́ componet suaviter ossa quies.*

Ne paveas subito terrore, nec arma ruentum
25 *Pravorum incutiant perniciosa metum.*

Summus enim clypeo Rector te proteget orbis,
26 *Et procul infesto sistet ab hoste pedem.*

Illicitè retinere alijs bona debita noli,
27 † *Quando potestatis sit tibi plena manus:*

Nec referas vicino abeas, iterumq́ reverte,
28 *Ac dabo cras, hodiè si dare quæsta potes.*

29 *Ne struito insidias, fidenti parce propinquo:*
30 *Criminis & vacuo jurgia nulla move.*

31 *Æmulus injusti fugias Raptoris haberi:*
32 † *Fraus invisa Deo, grataq́ simplicitas.*

Ira malis Superum venit in consortia sortis,
33 † *Sed beat insontes Gratia summa Lares*

34 *Riso-*

4 *Risores ridet, mites qui respicit Altus:*
5 *Gloria prudentum sors, fatuumque pudor.*

Caput. Quartum.

Schelomo præcedentia timoris Dei, fidei, resipiscentiæ, & abnegationis nostri documenta confirmat exemplo suo & ad sapientiam hortatus, suavissimis promissionibus revocat ab omni improborum consortio, rerumque malarum communicatione.

Observate patrum (Teneri) dictata, paratis
1 *Auribus ingenij sollicitate scholam.*

Nam me a præbet iter vobis doctrina salutis,
2 *Vos modò mandatis ne date terga Ducis.*

Filiolus genitoris ego quoque matre tenellus
3 *Dilectusque magis conspiciente fui.*

Cùm sic me instituit, præceptaque corde tenere
4 *Iussit, & effatis invigilare suis,*

Ut vivas referens: virtutem amplectere, cura
5 *Doctrinam; immemori nec mea verba fluant.*

Te modo præbueris stabilem servabit Alumnum:
6 *Exhibe as cultum, larga fovebit opis.*

Quære, quia primũ est, Sophiam; Prudentia nec re
7 *Addita sit studijs omnibus apta comes.*

Tollentem extollet, meritoque accinget honore:
8 *Vivat in amplexu prorsus ut illa tuo.*

Incrementa dabit capiti miranda decoris,
9 *Nec secus ac nitidum te diadema teget.*

Exaudi (mi nate) Paternaq; suscipe verba,
10 *Annorum vt numerum sospes in æva trahas,*

Teq; vias docui quarum Sapientia custos,
11 *Callibus & rectis ducere cura fuit.*

Non angusta tuos prohibebunt limina gressus,
12 *Nec pede inæquali præcipitabis iter.*

Morum igitur summa doctrinam amplectere cura,
13 *Hanc semper, namq; hâc stat tua vita, tene:*

Devia sectari vestigia sperne nocentum;
14 *Tramite consueto nec juuet ire malis:*

Hæc procul aspicito, loca ne confinia tangas,
15 *Rumpat inexpertas anxia penna moras:*

Non sopor ijs dulcis, facinus nisi grande peractum est
16 *Et cadit alta quies, ni quis in arma cadat.*

Suppeditant q; malis partas sibi fraudibus escas,
17 *Exhaustumq; bibunt cæde recente merum.*

Sed via trita velut Lux usq; micantior Æquis,
18 *Perficiat medio dum jubar Axe diem.*

Pectoris interea scelerati erroribus actos
19 † *Ceu specus, obscura noctis & umbra tegit.*

Consilio attendas, aures mea dicta capessent,
20 † *Aspiciant oculi, Cor medium q; premat.*

Nam

Nam ſupereſſe volunt ex omni parte potitos,
21 *Atq; ſalutari membra tuentur ope.*

Sit tibi præcipuæ cordis cuſtodia curæ,
22 †*Hinc quia vitales egrediuntur aquæ.*

Perverſæ aſſuetum os ſtolidaq; propelle loquelæ,
23 *Inſidyſq; procul dedita Labra move.*

Inrectam intendant aciem tua lumina metam,
24 *Et præ ingreſſus palpebra certa vagos.*

Inlicij adſtabilem veſtigia dirige normam,
25 *Soſpes ubiq; etiam, quà gradieris, eris.*

Ne ad dextram levibus, lævam neque cogere ventis
26 *Quò ferat ire veta, non ſine labe, pedem.*

Caput. Quintum.

Schelomo pios ad prudentiam hortans, avocat à voluptatis carnalis libidinisque ſtudio: præſentiſſima damna exponit, quæ eam conſequuntur: hortatur ad bona ſanctè uxoris, & amandam caſtè colendámque uxorem, maximè propter cognationem & iudicia Dei.

Quæ tibi præcipiet Sapientia, collige Nate,
1 *Doctrinæ acceſſum da facilemq; meæ.*

Vt ſummam rationem habeas Rationis adeptæ,
2 *Et Vigeat labijs culta Thalia tuis.*

Scorti equidem fluidos imitantur labra favillas,
3 †*Mollior atque oleo blandula Lingua levi eſt.*

Inſta-

Instar amara tamen fortuna novissima fellis,
4 *Ancipiti demum nec minùs ense secat.*

Descendant in opaca pedes conclavia mortis,
5 *Et penetrant celeres usque ad Averna gradus.*

Nec foribus limes, nec certa meatibus ora,
6 *Vitales poteris ne remeare vias:*

Ergo tuum mihi Nate caput submitte docenti:
7 *Istaq; consily stamina perge sequi.*

Quâ vitatâ alio versetur in aere penna,
8 *Trita nec immundæ limina tange domus;*

Ne tribuas alijs proprios invitus honores;
9 *Crudelique annos compede vinctus hero.*

Thesauriſq; abeat peregrinus egentis onustus:
10 *Et nova divitijs fulgeat Aula tuis.*

Corporis intereà fractus cruciatibus ægri,
11 *Exhaustisq; simul viribus inde gemas.*

O quantum (referens) odi documenta priora,
12 *Ac rigido solui spernere corde minas?*

Nec flectit obsequium dictis mihi voce Magistri,
13 *Nec Præceptorum molluit auris ope?*

Quum fermè obruimur vitiorum fluctibus atris,
14 *Conspectum populi culpa latere nequit.*

Pocula privatus referat tibi grata Canalis,
15 *Atq; tuo exirta Fonte petantur aquæ.*

Ima

Ima ſed emittant latices in paſcua rivos,
16 *Tritaq́, fœcundum per Loca flumen eat.*

Ora prius capiant conceſſa alimenta tuorum,
17 *Extera ne capiant ora alimenta prius,*

Proſpera legitimo ducantur pignora fonte;
18 *Vnaque lætitiæ ſit comes, atq́, tori,*

Hinnulus aſſiſtat veluti charisſimus alter,
19 *Ac multùm tenero corpore cerva placens.*

Vbera te ſatient nullo non tempore grata,
Et juvet illius ſemper amore rapi.

Vt quid gauderes varijs amplexibus, aut quid
20 *Alterno cuperes Nate tepere ſinu?*

Namq́, oculis humana Dei veſtigia conſtant,
21 *Metiturque omnes quò libet ire gradus.*

Impius aſtructa ſcelerum ſibi mole premetur,
22 *Et contorta ſuo crimine vincla feret.*

Dum rapiturque gradu monitus fugiente peribit,
23 *Abſolvens miſero ſeria ſtulta joco.*

Caput

Caput. Sextum.

Schelomo in documentis prudentiæ pergens dehortatur pios ab inofficiosis & imprudentibus officiis, pigritia, & maleficiis: atq; ad contraria studia excitans, concludit hæc documenta generalia ex hortatione à consequentibus bonis erga morigeros, & eventuris malis in eos qui contrà venerint.

1
Ate tui causa fueris si sponsor amici,
In signum externo contulerisq; manus:

Labra Soluta manus proprias vinxere, repentè
2 *Frænaq; quo voces miseris, ore capis.*

Hoc age (Nate) jugum quod iniisti discute collo,
3 *Reddantur dominis æra aliena Suis:*

Festinans, supplex modò compellabis amicos,
4 *Neve oculis somnum des, ciliisve moram:*

Eripe te quasi Dama manu venantis acerba
5 *Aucupis & laqueo decipientis Avis.*

O Piger in solitis Formicam quære viretis,
6 † *Illius, ut sapias, prospice, disce vias.*

Hæc ubi sub nullo domino, duce, præside degat,
7 *Qui monet & jussu viribus æquat onus,*

Vere dapes cumulat, festivaq; fercula secum
8 *Solibus æstivis ad cava lustra trahit.*

9 *Quantũ dormis iners? sterilis quando erigis artus?*
10 *Somnus adhuc, torpor brachia nectit adhuc?*

Sic

Sic tibi pauperies quasi miles ad arma volabit,
11 *Aut subitum carpens rure viator iter.*

12 † *Improbus impuro contendit proditor ore,*
13 *Lux varia, instabilis pes, dociliſque manus.*

Vipera corde latens rapit in discrimina sensus:
14 *Quamlibet invidiæ semine spargit humum.*

Ergo repentina ferietur fulmine cladis;
15 *Nullaque lathali proderit herba malo.*

16 *Sex, invisa Deo, vel septem hæc acrius odit;*
17 † *Linguam mendacem, celsa supercilia,*

Sanguine consperſos digitos insonte, volutans
18 *Cor perversa, citos ad nocitura pedes,*

Fucantem falso Testem commenta pudore:
19 *Fratribus implentem seditione sinus?*

Complexu mi Nate patris cape jussa tenaci;
20 *Nec materna pari Lex ruat orba fide:*

Undique librati cingant penetralia cordis
21 *Circunda collo tempus in omne tuo.*

Pergentem ducent te, defendentque cubantem,
22 *Stipabunt vigilem sana monente choro,*

Lex etenim Lux est, & pura Lampadis instar
23 *Mandatum, & vitæ janua Consilium:*

Quæ laqueos transire docent Mulieris iniquæ,
24 *Linguaq; contexit quos peregrina dolos.*

Pectora

Pectora ne ſitiant ridente ſub ore venenum,
Neve color ſenſus, fronſve operoſa trahat.

Namque per ambages ſcortum ſibi ducit amicos
Dum miſeræ vix ſit mica relicta fami,

Nec ſatiatur agens venantis adultera more,
Vita prius cedat quàm pretioſa plagis.

Num tegat igniculos, vitetque incendia, veſtis?
An ferat illæſos, qui premit, igne pedes?

Sic ſibi non proprij quiſquis Genialis inhæret
Parte tori, nequeat ni tetigiſſe reus.

In furem commune odium non ſævit egentem,
Qui rapit ut miſeram ſublevet arte famem,

Septuplici vero captus cum fœnore prædam
Reddet, & omnimodas pignora tradet opes,

Sed qui concubitus miſcet, dementat Adulter,
Interimens animam, dum vitiat q̃ ſinum,

Vulnus, & infamis referet ludibria factj,
Abſtergent nigras ſæcla nec ulla notas.

Eſt in amore furor, bollet quoquo credulus iram,
Parcere vindictæ nec ſinet arma die.

Nec placare potes pretio, neq̃ flectere, quamvis,
Delictum ut redimas, plurima dona feras.

CAPVT

Caput. Septimum.

Schelomo hortationes ad sapientiam & prudentiam confirmat, adducta experientia, quam observavit in conditione miserorum lenociniis voluptatis inservientium, & funesto illorum exitu.

1 *Sermones fine fine meos amplectere nate,*
Præcepta hæc animo nec minus alta (preme,
Ut vivas, Mandata etiam reminiscere, legi
2 *Et quasi pupillæ consule (chare) tuæ.*

Quo magis aspicias, digitis affige tenellis,
3 *Cordis & in tabulis usque potente seca.*

4 *O soror, O conjux adsis Prudentia dicas;*
5 *Absit ut illecebras Famina voce struens.*

Nam per cancellos ut apertæ fortè fenestræ
6 *Agmina conspicio præteritura domum,*

Sedulus observo juvenes hinc inde ruentes;
7 *Quum stolido quidam de grege visus adest,*

Se tulit, obliquas ut quâ via ducit ad umbras,
8 *Obscœnum Scorti limen adire parans,*

9 *Vespere festinant ubi sera crepuscula noctem:*
10 *Obviaque argutâ fœminâ veste venit,*

11 *Fallaciq; animo (Fragilis, vaga, garrula, preceps*
12 *Iam latebras quærit, jam fora, jamque domos.)*

Sic

Sic tenuit complexa, simul blanda oscula junxit,
13 *Et Vultu impavido talia verba dedit.*

Præmia libati petij modò thuris amœna,
14 *Nec voti ulteriùs Lux videt ista ream,*

Frontis in occursus amor impulit ergo petentem,
15 *Vultibus & merces redderis ipse meis.*

Purpureo mollis decoratur tegmine lectus,
16 *Quam celebriq; Pharos, veste, pererrat acu.*

Dulcia perplacido funduntur Aromata sensu,
17 *Et quæ dives Arabs, quæq; Sabæus habet:*

Perge voluptatis satis attribuamus amori,
18 *Deliciaque fluant dum micet Axe dies.*

Capit iter longum Conjux, & tecta reliquit,
19 *Argenti secum pondera certa ferens.*

Nec dicta imponet repetitis sedibus horæ,
20 *Compleat ante suam quàm vaga Luna rotam.*

Talibus alloquijs animum subsidit in imum,
21 *Traxit & insidijs melle cadente litis,*

Insequiturque statim, quasi bos ad vulnera ductus;
22 *Agnus & ad cædem, vincula raptus iners;*

Donec acuta jecur subitò transfigat arundo
23 *Sicut Avis nescit tela minata necem.*

Hac modò me Iuvenes ergo observate monentem,
24 † *Et date vos animos, os ubi verba dabit.*

Nec

Nec tua per ſalebras hanc vota ſequantur euntem,
Naviget in dubijs nec vaga puppis aquis.

Nam ſubito multos proſtravit vulnere, multos
Robore pollentes exitioque dedit.

Limina ſunt illi nigro contermina Diti,
Atria quæ ſubeunt non reſeranda necis.

Caput. Octavum.

Scheloro documenta ſapientiæ & prudentiæ confirmat teſtimonio Cæleſti ſapientiæ æternæ Dei: quæ omnes homines invitans ad ſe naturam ſuam potentiſſimam & beneficentiſſimam exponit credentibus in ſe; eaque confirmata ab eſſentia ſuæ ſempiterna operibus, homines ad ſui ſtudium provocat.

AN non docta ſuam tollit Sapientia vocem?
Et claros celſa mittit ab Arce ſonos?

Perq; vias urbis, portaſque exclamat ad altas:
Veſtibulum ante ipſum liminibuſque domus.

Vos compello viros quibus eſt ſincerior ætas:
Lucis & humanæ ſemina quotquot habent.

Diſcite inexperti rerum cognoſcere cauſas,
Diſcite perfecti pectoris eſſe rudes:

Arrigite huc aures, quia vos excelſa docebo,
Et referet ſtabili vox mea digna fide.

Vera mihi lingua eſt, falſumque horrentia labra,
Os nihil impurum, verba rebelle fremunt.

Sed

Sed quæcunque loquor sunt æqua scientibus æqua
9 *Et non injusto judice justa fero.*

Non sitis argenti, subeat mea pectora virtus,
10 *Doctrinamque auro plus adamate probo.*

Vincit enim Rubeas pretio Sapientia gemmas,
11 *Ad numeros surgant cui neque vota pares.*

Ipsa simulque domo Prudentia vivimus una;
12 *Artis & ingenij sum tibi docta Parens.*

Est, odisse malum, Dominum timuisse; Bilinguis,
13 *Turpis, atrox, tumidus sunt odioque mihi,*

14 *Nostrum est consilium, virtus, solertia, robur,*
15 *Auspice me Reges Sceptra tremenda tenent.*

Decernuntque Duces ius, Imperiumque potentes
16 *Exercem, Leges quotquot in orbe ferunt.*

Rursus in amplexus me ducor amore colentum
17 *Primaque quæsitum lux feret inde diem.*

Iure locata meo sunt divitiæque, decusq;
18 *Divitiæ stabiles, labe carensq; decus.*

Fructibus est aurum nostris minùs utile donis,
19 *Nec par argentum, par neque gemma nitens.*

Conspicienda palam Probitatis inambulo ductrix
20 *Callibus, in medio tramite Judicij.*

Prosequar ut donis meritos, cumulemque beatis
21 *Thesauris, studium quos capit usque mei.*

Me

Me Deus initio tenuisti summe viarum,
2 Ante opera antiquo tempore facta priùs.

Ducor ab aterno, quovis primævior ævo,
3 Quum nondum tellus mole jaceret, eram.

Me quoque conceptâ nec erant, quos credis, Abyssi,
4 Nec levis exiliit fontibus unda cavis.

Nec dum constiterant superantes aggere montes,
5 Ortaque sum nusquam collibus orbe sitis.

Nondum opulenta suis riguerunt floribus arva,
6 Pulvere non tumuit Terra supina levi.

Cum Pater omnipotens radiantem struxit Olympũ,
7 Certaque dum superis limina fecit aquis.

Cærula candentes sparsitque per æthera nubes,
8 Pressit & æquali gurgitis ora vado:

Jussit ubi æquoreos consistere limite fluctus,
9 Fundamenta gravis substituitque soli:

Tunc comes actorum lateri sibi semper adhæsi,
10 Et jocus, & proles delitiosa fui,

Orbis in immenso Ludens per cuncta Theatro,
11 Molis & humanæ visere læta genus.

Filioli nunc ergo datis attendite dictis.
12 Namque meas, fausti, qui colnere vias.

Consilio præbete aures, evadite docti,
13 Et quos percipitis ne date terga modis.

Felix

Felix qui me audit, vigilans ad limina, poſtes
34 *Oſtij & expectans quotidie ante mei.*

Quiſquis enim reperit, vitamq; reportat, & idem
35 *Munera Diuino parta fauore feret.*

Sed me qui fugiunt, quærunt ſua Vulnera ſtulti;
36 *Quos odiumq; mei mortis inurit amor.*

CAPVT. Nonum.

Schelomo ſapientiæ Dei opus potentiſſimum in Eccleſia, doctrinam, & eventa ex opere doctrinaque eius conſequentia comparat cum opere doctrina, & eventis inſipientiæ.

1 *ERigitur Sophiæ ſeptẽ decorata Columnis*
Regia, mirificæ fabrica docta manus:

Victima cæſa, natat perfuſi copia vini,
2 *Et patet hoſpitibus menſa parata ſuis.*

Miſit ad Excubias, vrbis muroſque miniſtras:
3 *Protinus excelſo clamat & ipſa Loco.*

Huc Iuvenis convertat (ait) cui vota vagantur
4 *Ignaros ad ſe (ſic quoque fata) vocat.*

Confluite huc, dapibus ſatiateq; viſcera miris,
5 *Poculaque immiſti ſumite plena meri*

Deſere veſanam; ſi vis bene, vivere, turbam:
6 *Et pete conſultos, quo; imitere, duces.*

Riſorta

Risores culpat quisquis, ridebitur ipse,
Arguit aut tetricos, ludibriumque luet.

Urgentis sapiens grato capietur amore,
Ibit & hortatus per potiora probus.

Convenit admonito docili magis æmula virtus.
Sed pravos, si vis otia, mitte viros.

Prima Dei timor est ad Sacras janua Musas:
Famaque Sanctorum Calliopeja viget:

Staret ut æternis Doctus memorabilis ævis,
Duceret & multos Iustus in orbe dies.

Si sapias, sapies tibi, sin modò ludis iniquum,
Illudes pariter flebilis arte tibi.

† *Fæmina stulta rudis, vocitans, & nescia recti;*
Vrbis in excelso tramite fulta sedet,

Vestibulum ante ædis; Laqueatus fortè viator
Ut ferat incautos ad sua verba pedes.

Huc deflectat iners (ait): & rationis egenti;
Vnda placens furti, suavis & esca latens,

Nescit at infælix illic cecidisse Gigantes,
Convivasque atro Dite latere suos.

CAPVT.

Caput. Decimum.

Schelomo pios omnes instituens tamquam filios, bona hon remque illis obvenire docet benedictione Dei. Quamobrem info mans eos in omni pietate & officio, docet obsequium, integrita animi, charitatem, prudentiam, beneficentiam, & modestiam in co rectionibus cum adhibendis, tum recipiendis: ac postremò divin benedictiones illis denunciat, & figillatim quæcunque de bonis pr dicantur, illustrat improborum comparatione.

1 *Delicia sapiens Genitoris filius almi,*
Natus ac imprudens flebile matris onus.

Nil congesta valent pravo molimine Lucra:
2 *In justum at perdunt ius mala fata virum:*

Nec fame permittit gratos urgente perire,
3 *Ingratos cujus destruit ira, Deus.*

Pertæsos operum macilenta sequetur egestas:
4 *Plenus at est opibus deliciisque labor.*

Filius est sapiens qui messe reportat; at hares,
5 *Stertentem, interitus, quem videt alma ceres.*

Multa caput sceleris vacuum Benedicta coronant
6 *Sed riget hausta suis Lingua nociva malis.*

Laudibus usque viret memorati gloria justi,
7 *Nomen iniquorum vile putrescet onus.*

Corde tenet prudens Commissa fideliter alto:
8 *Sed proprio capiet verbera fuste loquax.*

Certa salus rectas comes est properantis in oras,
9 *Corripit errantes lux manifesta pedes.*

Front

Fronti nulla fides, motis neque semper ocellis
10 *Verus amor: tandem mimus at ipse venet.*

Iusta, fide verbis simili sibi, Labra salutant,
11 *Propositum tacito volvitur ore ferox.*

Intus agens odium ferventes excitat iras;
12 *Maxima quum taceat crimina charus amor.*

Exprimit ingenuos labiis Sapientia mores;
13 *Terga dabit scuticæ sed ferienda procax.*

Pectore prudentes versant sibi cognita tuti:
14 *Sed stolidus verbis currit ad exitium.*

Congestum sibi dives habet pro mœnibus aurum,
15 *Pauperies miseris perniciosa sua est.*

Expetitur merces par vita laboribus aptis,
16 *Copia sed studiis crescit iniqua malis.*

Ille viâ vitæ, monitis qui nititur, hæret;
17 *Præcipitat, quisquis frena recusat, iter.*

Qui sua mendaci fucat fastidia linguâ;
18 *Opprobriumq; jacit, desipit ille dolo.*

Vix culpam effugiet temerè quis multa loquutus;
19 *Sed potis in fauces regna tenere sapit.*

Iudice spectati pretium pia lingua metalli,
20 *At sceleratorum nil documenta valent.*

Mens trahit ex labys multorum alimenta peritis;
21 *Sed quasi defuncti, qui caret arte, jacet.*

Auſpicijs referuntur opes caleſtibus æquæ,
22 Et quibus omnis abeſt, commoda chara, dolor.

Flagitium patrare joco eſt rationis egenti:
23 Sed pius æquanimi profuit acta decor.

Conſcia mens certæ terretur imagine cladis;
24 Iuſtorum accedet lata corona ſpei.

Impia præterito rapitur quaſi turbine turba:
25 Fundamen veluti recta perenne cohors.

Furius ut eſt oculis, dentes velut angit acetum,
26 Sic piger hunc torquet, qui ſibi juſſa dedit.

Ima dies affert Summi reverentia longos;
27 Sed brevis interpidis ſtat ſua meta viris.

Sentiet effectus juſti patientia lætos:
28 Sperat at incaſſum lata futura malus.

Inconcuſſa fides rectè comitatur euntem:
29 Una ſed ad facinus perniciemque via eſt.

Obijcitur vitijs pariter latus, atq; ruinæ:
30 Turpibus incertum redditur omne ſolum.

Ore pio affatim dulcis ſapientia prodit:
31 Eruet at linguam vulnus ab ore trucem.

Novit quid prudens labijs placabile reddat,
32 Dura ſed ad mores verba retorquet iners.

CAPVT

Caput. Undecimum.

Salomo documenta proponit de simplicitate, modestia, integritate, iustitiaque hominum in privatis & publicis rebus: item de prudentia in sermonibus habendis & diiudicandis, consiliisque & officiis præstandis, de honore mulieris, de beneficentia viros mulieresque decente, de domestica administratione, ac postremò de documentorum & castigationum usu.

1 *INstabiles odit Dominus, falsasq; Bilances:*
Sed rectũ in summo pondere pondus habet.

Edita turpis ibi est, ubi nata superbia, labes:
2 *Candoris sapiens rem speciemque gerit.*

Tutior est quoties animus sibi constat honesto,
3 *Impia in exitium pronus ad arma ruet.*

Maxima postremæ non obstant præmia pœnæ:
4 *Sola tamen victrix est pia vita necis.*

Rerum tuta fides animi tractabit habenas:
5 *Vis sed iniqua suis corruet acta rotis.*

Liberat insontes probitas spectata periclo:
6 *Vertet in Authorem sed sua tela nefas.*

Quum perit injustus, perit expectata triumphi
7 *Pompa: nec invisos postera fama manet.*

Ex rebus, qui recta facit, discedit amaris:
8 *Et vice mutatâ sentit amara malus.*

Decipit officijs ſub imagine blandus amicum;
9 *Fallet at innocuus, quas ſapit eſſe, plagas.*

Quum bene ſit juſtis, teſtantur gaudia Cives;
10 *Non minus injuſti ſert q̃ ruina joci.*

Tollere vota valent puris authoribus vrbem,
11 *Ora ſed exitium turpe loquuta vocant.*

Mentis inops verbis infamem reddit amicum;
12 *Sed præſtans animo quæq́, pudenda ſilet.*

Intima delator profugus ſecreta recludit;
13 *Quæ tacito ſemper pectore fidus habet.*

Mole ruet nullo Reſpublica præſide fulta;
14 *Conſilio ſupereſt uberiore ſalus.*

Ipſe luet pœnas, qui ſe dat in hoſpite victum:
15 *Sed ſibi ſervat opes parcus inire fidem.*

Fœmina digna viro multo cumulatur honore:
16 *Miles ut & validus plura refert ſpolia.*

Tum ſibi, cum q́, alijs præſtat jucunda Benignus:
17 *At ſibi crudelis ferreus, at q́, ſuis.*

Qui ſcelus aggreditur, dubijs ſe fluctibus offert;
18 *Sed bona qui ſervit, præmia certa metet.*

Gignit ut æternam vitæ perfectio vitam,
19 *Accedit ſceleri mors ita præda duci.*

Accendit meritas mens improba Numen in iras:
20 *Ejus at inſiſtunt gaudia corde pio.*

Dum

Dum manus inſeritur manui, rapientur iniqui
21 *Ad pœnas: juſti ſoſpite prole viri.*

Gemma ſuis rigidas exornat ut aurea nares;
22 *Sic quoq; mentis inops fœmina pulchra nitet.*

Sunt optata bonis bona concipientia ſolùm:
23 *Ira ſed, in votum quod venit omne malis.*

Larga ſaginabunt animam incrementa benignam:
24 *Qui rigat atq; alios, ipſe rigandus erit.*

Eſt alius qui plura refert, quò plura locavit:
25 *Eſt alienì alius ſemper avarus egens.*

Excipit hunc diris populus, qui grana recondit,
26 *Hunc precibus, lætum qui citò vendit ador.*

Comparat utilium patriæ ſtudioſus amorem:
27 *In primum refluent ſed nocitura caput.*

Lubrica fortunæ vis eſt credentis opimæ;
28 *In Domino fidens ſtat quaſi planta virens.*

Sorte ſua Domui tenuis cadet aura moleſto;
29 *Atq; animo captus verna capacis erit.*

Emicat in cælum juſtus velut arbor opima;
30 *Quiq; animas vincit, Pallade digna gerit.*

En pius in terris factum mercede probabit:
31 *Quò magis injuſtus damna procax q; luant.*

Caput Duodecimum.

Bonis benevolentia Dei, malis judicium denunciatur: mulierum conditio, cogitationum & sermonum fructus; misericordiæ, sedulitatis, justitiæ, humilitatis, veritatis, integritatisque, & contrarii proponitur: & explicata prudentium hominum, diligentium justorumque ratione æterna illorum vita prædicatur.

Qvi præcepta colit, doctrinæ lumine gaudet:
1 Sed ferus est, docili qui negat aure trahi.

Divinum assequitur virtutibus auctus amorem:
2 At morum, invidiam, qui probitate caret.

Colligit a vitijs stabilem sibi nemo salutem:
3 Figitur at radix non removenda pijs.

Est diadema viri mulier generosa; putredo
4 Ossibus indigni fœmina causa mali.

Cuncta gerunt animi formam meditamina recti,
5 Sed mala nascenti pectora fraude tument.

Innocuum sitiunt mendacia labra cruorem:
6 Obstat at immeritis integra lingua malis.

Corruet iniusti nunquam reparabile limen:
7 Florebit justi semper opima domus.

Quisque sua digno recoletur honore Minervæ,
8 Despectu vacuus quisque sapore pari.

Non

Non sibi, sed tali gravis est, quæ servit egestas,
9 *Quem dominâ tituli plus fame tangit honor.*

Jumenti accipiunt facilis incommoda curæ:
10 *Ipsa suum rigidi gratia sentit onus.*

Inferat ut damnum posuit sibi castra scelestus:
11 *Sola beat merces nixibus orta pijs.*

Dives erit frugum, terræ qui semina mandat:
12 *Otia qui sequitur, concidet ungue famis.*

Lingua nocìva suæ patitur discrimina culpæ:
13 *Certa sed insonti ducitur ore quies.*

Præmia respondent dictis opulenta peritis:
14 *Implebunt meritas largaque dona manus.*

Recta suis oculis ducunt vestigia stultos,
15 *Calle, sed expertos qui facit, ire juvat.*

Mox dabit insipiens accensi signa furoris:
16 *Sed flammas sapiens, quas movet ira, premit.*

Auribus æqua ferens præbet se pectore verum:
17 *Mendacem, cujus verba dolosa sonant.*

Lingua alijs sævo proscindit acutior ense:
18 *Sed juvat edoctos mitia verba dare.*

Immortale parant decus æquiloquentia Labra:
19 *Sed breve perfidiæ consona tempus habent.*

Et fallax idem est, pravo qui corde docetur:
20 *Pax ubi consilium, læta sequuntur, init.*

Iustus ab adversa nunquam sibi sorte movetur,
21 *Sortis at invidiæ pectora cæca patent.*

Fraude, Dei tinctis odium venit acre labellis;
22 *Sed sibi cum verbis sensus in ore placet.*

Ingenium cohibere, decus prudentibus addit:
23 *Stultitiam prodit garrula lingua suam.*

Sedulitate manus patrijs dominabitur oris:
24 *Sed victoris heri pigra rependet onus.*

Debilitant corpus grandes sub pectore curæ;
25 *Viribus at reficit vox pretiosa novis.*

Laude pius rerum vincit sibi sede propinquum:
26 *Hospitium turpi fama locusq; negant.*

Negligit ignavus susceptam in dagine prædam:
27 *Chara Parata sui sed studiosus habet.*

Ducit ad æternam Probitas sincera salutem:
28 *Ac ubi floreſcit, mors ibi torva riget.*

Caput.

Caput. Decimum Tertium.

Disciplinæ studiosis, bonis, modestis, diligentibus, verecundis, & integris suæ promissiones apponuntur, & contra: divitiarum commoda & incommoda, usus sapiens & consultus, & ratio eas comparandi exponitur: spei, doctrinæ, sapientiæ, prudentiæque effecta; item veritatis, & disciplinæ, conversationisque consequentia ostenduntur; & bonis viris opes, liberos, vitamque bene instituentibus bona denunciantur, improbis mala.

1 *Filius accipiet prudens documenta parentis:*
Indomito meritas non patiente minas.

Fructibus ex oris cunctos fluet uber in artus,
2 *Carpet at expressi viscera fraude fames.*

Os, animamq; pari moderamine quisq; tuetur:
3 *Sed vitam exponunt garrula labra malis.*

Vult piger & non vult, optat, sed non habet unde:
4 *Impiger optatas quærit, ut addat, opes.*

Pondus abest justis fallacibus addere verbis:
5 *Obruit at mendax, obruitur q; probro.*

Cedit iter felix metam sine fraude petenti;
6 *Fallit at à veri quà via cunq; rapit.*

Divitis, est pauper, specie qui gestit inani:
7 *Pauperis, est dives, qui premit ora modo.*

Dividit alter opes, animam ut potioribus ornet;
8 *Consilij nudus respuit alter opem.*

Lumen in omne placens justorũ accenditur ævum:
9 *At citò pravorum torva lucerna perit.*

Sola parit miseras temulenta superbia rixas:
10 *Sana tamen pacis fœdera sanus amat.*

Parta perit citius solerti copia fraude;
11 *Sedulitate manus copia parta viget.*

Differit interea dum spe suspenditur ægrâ,
12 *Ast ubi vota valent, mens sibi læta redit.*

Qui leviter verbum pendit, fera verbera pendet:
12 *Qui præcepta colit sacra, superstes erit.*

Quam tradit sapiens Lex, clara salutis origo est;
14 *Nos vitare docens flumina sæva necis.*

Æmula præstanti colitur doctrina favore;
15 *Moribus at rigidos aufugit omnis honos.*

Quicquid agit sapiens dignũ commendat acumen:
16 *Stultitiæ signum est, quicquid ineptus agit.*

Nuntius imponens alienas excitat iras:
17 *Pax duce commissi fida gerente redit.*

Et pudor, atq; fames sequitur violenta Rebelles:
18 *Obsequij plenum fama coronat opus.*

Quæ docet ex voto juvat experientia mentem:
19 *Sed fatuis à se degenerare nefas.*

Qui

Qui legit ingenuos, crescet bonitate sodales;
20 *Panaq; flagitio comparat una pares.*

Horrida securè prendet vindicta nocentes:
21 *Sed bona debentur fertiliora Bonis.*

Dividit in seros Bonus incrementa nepotes:
22 *Vtq; probis pateant improbus abdit opes.*

Luxuriant fructu benè culta novalia plebis:
23 *Incauto marcet vomere pinguis ager.*

Qui virgæ parcit, nato male parcit inepto:
24 *Qui citò castigat, rectiùs alter amat.*

Ad vitam virtus sat erit cultoribus Alti:
25 *Impius at propiæ carpitur ungue famis.*

Caput. Decimum Quartum.

Mulieris officium; recti, modestiæ, diligentiæ, veritatis studij ad æternam tenendam consequentia; & conversationi leges, justique in probandis institutis vitæ, adhibita prudentia, exponuntur: personarum pro ratione operum acceptio damnatur, labor, sapientia, veritas, & reverentia Dei commendatur, civitatis decus, & civium inter se officia humanitatis, justitiæ, & prudentis obsequii prædicantur.

Edificit apta domus fundamina surgere cõjux,
1 *Æquat at extructam fœmina stulta solo.*

Religiosa gradu docet ire modestia recto,
2 *Nullus in obliquo tramite constat honos.*

Cæditur

Cæditur ipse suo petulanti verbere fastus :
3 *Clementis labium vindicat ense sinum.*

Fit rigidis Bobus vacuum præsepe remotis :
4 *Præmia sed validi multa tulere boves.*

Fidus adest nullo veri discrimine Testis,
5 *Induit at recti falsa colore vafer.*

Quæritur excelsis frustra sapientia pennis,
6 *Sed prudens facilè, qui cupit esse, potest.*

Effuge participem dicti, quem cerrnis ineptum,
7 *Incultisq́; sonos præcipitare labris.*

Mente valentis opus certos sibi fingere passus,
8 *Sed stolidis, artes quæ placu re, nocent.*

Turpe pari facinus illudunt scommate stulti,
9 *Jungitur at gratus cum pietate sapor.*

Optima mens propriæ judex sibi conscia curæ :
10 *Delitiæ pariter corda aliena latent.*

Alta domus subjecta malis eversa jacebit :
11 *Sed pietas humilem tollet honore casam.*

Est via concordes animo quæ præbet arenas,
12 *Sed cadit in fines ultima meta necis.*

Cor etiam risu dolet erumpente profundum,
13 *Desinit in luctus sed jocus ille graves.*

Ingemet abductus solitarum errore viarum ;
14 *[illegible] in sese gaudia rectus alit.*

Singula pro veris ignari verba reportant ;
15 *At solet astutus quisq; cavere vijs.*

Damna reformidat sapiens, resilitq; periclo :
16 *Sed furit insipiens, per mala nota ruens.*

Insanè faciunt, præceps quibus imperat ira ;
17 *Fraus sq; suas odio vendit aperta dapes.*

Stultitiæ mercede sua potiuntur inepti ;
18 *Egregiè meritis Laurea justa datur.*

Dura Bonis flectent inviti colla maligni,
19 *Et scelus innocui volvitur ante fores.*

Orbis & invidia, misera qui sorte laborat,
20 *Sed charos totidem, quot bona dives habet.*

Peccat, ab aspectu qui proximus horret egeni ;
21 *Sed felix, inopi qui miseretur, erit.*

Qui pravum molitur opus, non prodidit hostem ?
22 *Sed venia at q; fides fronte trophæa gerunt.*

Utilitas operi condigna supervenit omni ;
23 *Nil nisi pauperiem nil nisi lingua parat.*

Copia fingit opum dignam sapiente coronam,
24 *Sed fatui impulsus ceu levis aura volant.*

Vindicat exitio Testis properante fidelis ;
25 *Mendacem fallax insidiatur agit.*

Voce Dei metuens animos in castra resumit,
16 *Lætaq; militiæ spes comitatur onus.*

Vitæ clara Dei timor immortalis origo :
27 *Quæ procul à stygijs sedibus usq; fluit.*

Gloria Principibus numerosi turba Popelli :
28 *Fit minus in Populo deficiente decus.*

Bilis ad arma piger præcellit acumine mentis :
29 *At citò candescens, non minùs insipiens.*

Membrorum ingeminat cordis præstantia vires :
30 *Invidiâ tabent ossa cutisq; ferâ.*

Detrahit Artifici, cui paupera sordet imago :
31 *Qui miseret, placito Numen honore colit.*

Pallidus armato discedit iniquus ab hoste :
32 *Morte sed erigitur spe veniente pius.*

Suaviter ingenuo sapientia corde quiescit :
33 *At subitò prodit, quicquid ineptus habet.*

Elevat ingentem jus inviolabile gentem :
34 *At scelus invictum sit regionis onus.*

Principis aspirat præstanti gratia servo :
35 *Prorsus at indignum dejcit ira virum.*

CAPVT.

Caput. Decimum quintum.

Leges sermonum qui inter homines habentur, & bona ex legitimo illorum usu consequentia, Dei judicium de bonis & malis, stultorum fastidium in documentis boni & tota sorte sua: iracundiæ, pigritiæ, stultitiæ. imprudentiæ, carnalium studiorum, superbiæ, avaritiæ, temeritatis in homines & in Deum, immodestique erga doctrinam animi, & contra, consequentia explicantur.

Mollia crescentem sedant responsa furorem;
1 *Accendunt iras improba verba graves.*

Ingenium sapiens lingua probitate venustat;
2 *Fatuit at insipiens ore pudenda rudi.*

Aspiciunt oculi, tu quocunq; aspicis, Alti;
3 *Et bona cernentes, & mala facta simul.*

Irridet rerum ignarus commissa Parentis:
4 *Providus exaudit lætus ubiq; Patrem:*

Lingua placens lignum pacis; sed spiritus ardet
5 *Dum sua contorquet fulmina lingua furens.*

Ad vitam innocuus præstantibus affluit armis,
6 *Anxia sed culpæ subditus æra tenet.*

Proventum ingenij sapiens diffundit in orbem:
7 *Dissimilem longè se probat artis inops.*

Pravorum ante oculos Excelsi victima sordet:
8 *Ascendunt humiles corde gemente preces.*

Mana

Vana trahunt secum vestigia Numinis iram:
9 Lumine sed placido spectat ab axe pios.

Displicet erranti frænum, monitisq; vetantis
10 Qui negat abduci, vindicis ense ruet.

Et clades æterna Deo, tenebræq; profundæ,
11 Quantò plus hominum corda supina patent!

Se, derisor eum, qui criminis arguit, odit:
12 Et comites sanos horret adire minax.

Exhilarant faciem placati gaudia cordis;
13 Sed riget ingenitus corde dolente vigor.

Recta fides studijs animi sapientis adhæret,
14 Error at insolidi plus juvat ore frequens.

Verberibus miseros fortuna tenaciter urget;
15 Continuas sed habet mens sine labe dapes.

Grandior est Domini Res parvula plena timore,
16 Quàm misero plenum grande timore lucrum.

Præstat amicitijs oleri discumbere salvis,
17 Quàm pingui invidiâ pectus edente bovi.

Lis ubi nulla vocat, temerarius incitat hostem:
18 Turbida sed pacis jurgia sedat amans.

Tramite cèu spinis denso rapit error alentem;
19 Sed planum rectè consicientis iter.

Omnis in ingenuo chari stat cura parentis:
20 Sed sibi, qui matri parcere nescit iners.

Pro-

Hòc magis insipiens, quò fertur ad improba, gaudet;
21 Linea prudentis dirigit æqua gradum.

Exitus infelix temeraria destruit acta:
22 Propositum firmat copia consilij.

Os juvat æqua loquens, movet & facundia linguæ,
23 Et data maturè quam benè verba sonant?

Est via prudentis nitidi via lactea cæli:
24 Quæ procul inferno tendit ad astra sinu.

Sternet humi Dominus tumidorum sorte penates:
25 Sed vìduæ stabili limite cinget agrum.

Mens odium superis facinus meditata prosatur,
26 Pulchra sed ex puro pectore verba scatent.

Vim parat in propriam sitiens aliena tabernam:
27 Sed sua, qui spernit munera, salva tenet.

Verba student animi placitur a referre modesti:
28 Sed responsa feri vox truculenta parat.

Se procul Omnipotens convertit ab ore malorum:
29 Iustorum at facile suscipit aure preces.

Splendida jucundam testantur Lumina mentem,
30 Et decus impinguat nominis ossa boni.

Verbera quæ patitur medicantia moribus auris,
31 Doctorum in medijs stabit operta choris.

Despicit ille animam qui dedignatur habenas;
32 Imperat at cordi, qui scit agente premi.

Maxima

Maxima consistit Summi doctrina favore:
33 *Estq; humilis pretium conditionis honos.*

CAPVT Decimum sextum.

Singularis Dei administratio scientiaque prædicatur, qua homines ad fidem & obsequium evocantur: reverentibus ipsum gratia & pax, superbis ruina denunciatur: etiam reges quacunque auctoritate sint, ad idem officium provocantur: sapientiæ, justitiæ, modestiæ, studii in verbo Dei, eloquentiæ, fideique doctrinæ fructus exponuntur: cogitationum nostrarum semetipsarumque alienorum probatio, venerandæ senectutis auctoritas, hominis animum suũ cohibentis virtus commendatur: postremo abdicata fortuna omnia eventa tribuuntur Deo.

PRogenies humana audax cor præparat imi
1 *Disponit linguæ reddita verba Deus.*

Quæ magis arrident, ducunt conamina mentem,
2 *Cordis at expendit quid latet arce Deus.*

Omne opus aggressũ summo profitere Magistro:
3 *Conferet is studijs aptaq; tela tuis.*

Omnia composuit, voluit quia talia, Numen;
4 *Et malâ passuros, quos vetat esse, malos.*

Summa movent Domino fastidia corde tumentes,
5 *Vel palmâ palmum consociante ruent.*

Magna fide ac studio removere potentia noxam:
6 *Et Domini vitio cedit ab hoste timor.*

Quum

Quum Deus humanis conatibus annuit, hoſtes
7 *Cogit in amplexus marte redire ſuos.*

Plus humilis fortuna valet pietatis amica,
8 *Quàm ſcelerum facile rebus ab arte fluens.*

Mente prius ſtatuit quid ſit ſibi quiſq; ſequendum:
9 *Sed Deus arbitrio fertur eunte ſuo.*

Eſt Divina ſatro ſententia Regis in ore:
10 *Nec ſua judicio Labra labare ſinet.*

Optimus arte probam libramq; notamq; fatetur,
11 *Inventumq; ſibi ponderis omne genus.*

Indignum ſtatuunt facinus permittere Reges;
12 *Munit enim pietas intemerata Thronum:*

Majeſtas gaudet labiis referentibus æqua;
13 *At venit in pretium recta loquentis amor.*

Principis irati vultus quaſi ſigna ruinæ;
14 *Sed placidum reddit, qui ſapienter agit.*

Exhilarata viget facies cen lumine vitæ;
15 *Ac ſero rediet gratior imbre favor.*

Parta gravi quantò ſapientia præminet auro;
16 *Argentoq; animus plus valet arte nitens?*

Crimen ab adverſo juſtorum ſemita ſpectat,
17 *Atq; animam ſervat, qui bene quadrat iter.*

Fortius eſt humili cum mitibus addere menti;
18 *Quam ſpolia in ſocios parta ſecare truces.*

Præcedi

Præcedit miseram fastosa superbia cladem;
19 *Et sublime suo pectus ab orbe cadet.*

Qui bene res tractat, rebus pensatur opimis;
20 *Et secura Deum spes animosa petit.*

Nominis ingenij decorabit fama potentes;
21 *Et labium candor gloria mentis erit.*

Fonte salus vitæ, doctrinaq́, profluit vno:
22 *Vana sed instillat, quæ vehit vnda rudes.*

Suggerit officij vires mens docta labellis,
23 *Artis & ore facit dulce sonare melos.*

Mellis habent plus quã liquidi bona verba favilli;
24 *Cordi epula suaves, ossibus alma salus.*

Errantes iter est ducens sub imagine recti,
25 *Quod fera terribilis littora mortis adit.*

Vtilitate sua premitur, qui sudat agendis,
26 *Poscit enim, ut possit, fercula venter, ali.*

Impius injecta fodit irritamina pugnæ;
27 *Ac velut in labijs flamma coruscа furit.*

Semine perversæ crescit discordia linguæ,
28 *Et movet adverso marte susurro Duces.*

Sæpius igarum lactat truculentus amicum,
29 *Et trahit in præceps per speciosa nefas.*

Cogitet ut miseras claudit sua lumina strages;
30 *Perficiat q́, malum, turpia labra movet.*

Nobilis

Nobilis albentes circundat gloria crines,
Quos bona succincto more senecta premit.

Fortior est forti qui scit tolerare; suiq́,
Quàm domitor majus perficit vrbis opus.

Sors accepta sinu est; sortis tamen omnis ab alto
Temperies nobis prædominante venit.

Caput. Decimum Septimum.

Sacris & prudentiæ bonum Deo probatæ explicatur; malignitas & contemptus pauperū condemnatur; propagatio generis, dignitas incorrupta, charitatis officia, reprehensionum effecta, vitatio stultorum, maleficorum, rixosorum, injustorum, & insipientium, certorum amicorum comparatio, litigiosorum, perversoque declinatio; generis depravati, tristitiæ, corruptionis, temperiatis, injustæque reprehensionis malum, & modestiæ bonum enarratur.

Plus juvat arescens, ubi pax sit in hospite, (frustū,
Quàm conturbatâ victima multa domo

Nati servus opes moderabitur aptus inepti;
Ac fratres inter pars sibi læta cadet.

Aurum fornace, argentum velut igne probatur;
Sic Pater omnipotens intima corda probat.

Arrigit Impostor verbis fallacibus aures;
Mendacem mendax atq́, habet in pretio.

Exprobrat Authori rerum qui spernit egentem:
Letanteq́, alij clade ruina vocat.

Natorum

Natorum nati seniorum digna corona:
6 Gloria natorum non minùs alta Patres.

Non decet insipidum sermo contextus ab arte:
7 Præfectumq; minùs verba soluta decent.

Par gemmæ donum est, capientis lumina captans;
8 Et quòcunq; movet, fortiter usq; movet.

Qui tegit erratum, mansurum quærit amorem:
9 Qui secretum aperit, cogit in arma pares.

Altiùs imprimitur verbum sapiente cavendũ:
10 Quam centum stolidi verbera fixa cute.

Qui struit insidias domino, & deflectit ad hostes,
11 Nuntius hunc retrahet sæuus ad exitium.

Arreptis meliùs catulis occurritur ursæ,
12 Quàm fatuo, cerebri dum levitate tumet.

Qui mala pro meritis indignâ mente rependit,
13 Nec mala discedent hujus amara domo.

Vt scatebræ undarum prorumpit origine rixa:
14 Funestis ergo jurgia mitte viris.

Arbiter illorum mundi fastidit utrumq;,
15 Qui justum damnat, justificatq; reum.

Commoda quid prosunt stolido, quid grandia lucri
16 Dum tanto nolit munere mentis opes?

Tempore se variante fides servatur Amici,
17 Fratris & adversâ sorte probatur amor.

Tra

Tradit inops mentis dextram in consortia dextræ:
8 Prosocio astrictam fertq; petente fidem.

Ad scelus effertur cupidus certaminis author,
9 Ostia & insequitur lata ruina domus.

Effera mens totum rapit in discrimina corpus,
0 Intonat in domini lingua minaxq; caput.

Nascitur ingentis fatuatus origo doloris;
1 Et redeunt stolidi gaudia nulla patri.

Mens alacris veluti medicina resuscitat artus;
2 Ossa sed exiccat pectus opima dolens.

Accipit è gremio corruptus munera judex,
3 Currat ut adversas Lex violata vias.

Emicat ornato docti sapientia fronte:
4 Insipiens oculos jactat ubiq; vagos.

Nulla patri gravior vecorde molestia prole;
5 Nec matri in lucem quæ prius ægra tulit.

Nec decet innocuos rebus torquere nocivis:
6 Nec dare consulibus verbera dura pijs.

Qui sapit, ille suæ præstat moderamina Linguæ,
7 Pectoris & clari signa disertus habet.

Fert decus ignaro sapientia sola tacendi
8 Et sunt doctrinæ labra modesta loco.

CAPVT.

CAPVT. Decimum Octavum.

Obstinatorum notæ, improbitatis fructus & sapientiæ, judicium æquitas in sermonibus & prudentia, susurronum pigrorumque damna; fiduciæ in Deum fructus, confidentiæ, in divitias & iniquitatis effecta, patientiæ & prudentiæ bona maximè in contentionibus, linguæ usus, piæ uxoris utilitas, divitum pauperumque ratio, & amicitiæ necessitas exponuntur.

1 *Quem tenet artis amor, virtutisq; alta cupido*
Omne fugit cœptum quod remoratur iter.

Non capit obtusum doctæ facundia linguæ:
2 *Sola placent animi nuncia verba rudis.*

Spernitur & spernit, quocumq; accedit, iniquus,
3 *Atra nec à domino fama remota suo est.*

Exiliunt laticum voces velut unda lacunis,
4 *Fluminis ingenij venaq; more scatet.*

Cedere personæ nequam non convenit, æqua
5 *Ut sine judicio causa probante cadat.*

Æstuat in sulfo rabies civilis ab ore,
6 *Et plagas ad se lingua proterva vocat.*

Exitium stolidus patuli trahit oris hiatu:
7 *Et laqueum menti vana labella struunt.*

Verba velut plagas stricto facit ense Bilinguis,
& Viscera quæ penetrant lapsa per ima sinum.

Tar-

Tardus ad appositum serpit quicunque laborem,
9 *Fraternum ingreditur cum minuente jugum.*

Nomen adoratum Domini fortissima turris,
10 *Ad quam confugiens invenit arma pius.*

Divitijs locuples grandi velut urbe potitur;
11 *Et quasi sublimi marmore cinctus ovat.*

Corde prius turgent homines quàm clade fatiscant,
Nec priùs assurgunt, quàm sibi mente cadant.

Quisquis in ignotam parat ora resolvere causam,
13 *Stultitiæ nigrâ labe notatus erit.*

Corporis affectus sustentat spiritus ægros,
14 *Vulnera quis valeat corde recepta pati?*

Se studia ingenium prudentis ad ardua confert;
15 *Pulsat Apollineas auris & apta fores.*

Discutit ante pedes rutilans obstacula donum,
16 *Principis huic facilem præbet & Aula viam.*

Qui priùs accusat justum se vellet haberi,
17 *Tunc venit & causas insimulatus agit.*

Fervida projectâ certamina sorte quiescunt,
18 *Atque inter summos dividit arva viros.*

Vincitur offensus præstanti durius urbe
19 *Frater; & hæc acris lis valet æqua seris.*

Condigno venter proventu explebitur oris:
20 *Et satis ex labiûm fertilitate metet.*

Lingua ſuis retinet vitam á, necem q, lacertis:
21 *Illius & fructus, ut moderaris, habe.*

Comperit is gemmam, qui uxorem comparat almã
22 *Numinis & tali gratia ſorte cadit.*

Obſecrat, & verbis præmollibus inſtat egenus;
23 *Dura ſed ex duri divitis ore volant.*

Reddat amicitiâ ſe quiſque colentis amantem:
24 *Fert aliquis plus quam frater amicus opis.*

CAPVT. Decimum nonum.

Integritatis laus, inconſideratæ vitæ reprehenſio, divitiarum pretium, pauperitatis uſus, falſitatis, elationiſque in ſtultis, & ſervis indignitas, clementia, regia auctoritas, domeſtica mala à liberis & uxore obvenientia, pigritia, obedientia, miſericordia, liberorum inſtitutio, cogitationum à Deo præſtatio, beneficentia, reverentia Dei, fatuorum informandorum ratio, filiorum inſtitutio ſ. ſorumque teſtium malitia & pœna exponuntur.

INtegritatis inops melior qui tramite pergit
1 *Divite diverſis inſipiente modis.*

Doctrinæ mens lucis egens virtutibus obſtat,
2 *Præcipiteſque malum eſt omen habere pedes.*

Dum greſſu evertit rapido ſuus error euntem,
3 *Fatorum tumido pectore damnat iter.*

Plurima fulgentes addunt conſortia gazæ;
4 *Pauperiem facies proxima quæque fugit.*

Ultio

Vltio conflatos torquebit agillima teſtes ;
Perfidiæ deerit pœna nec apta reo.

Principis optatur multis ſpirare ſub umbra ;
Agmen amicorum quiſque Benignus habet.

Fraternumq́, odium qui ſternitur omine tollit:
Longiùs heu quantò blandus amicus abeſt?

Scilicèt antiquum multâ prece poſcat amorem,
Subtrahit auxilium priſtina turba ſuum.

Qui didicit ſacras, animam plus diligit artes :
Et cum Doctrinâ confluit omne bonum.

Plectetur merito falſus cruciamine teſtis :
Et qui mentitur, conçidit enſe dato.

Non par eſt ſtolido permiſſa licentia ; ſervum
At minùs in dominum regna tenere decet.

Notuit ingenium quàm forteſit omne ferendo ;
Et decus errato parcere tale putat.

Rugentì ſimilis Regis ſonat ira Leoni ;
Ros velut humectans Gratia gramen adeſt.

Triſtitiæ eſt patri fatuus : Conjuxq́, fatigat
Turbida continuis ut celer imber aquis.

Et domus, & fundus ſunt dona parentibus ortæ ;
Sed datur auſpicijs bella marita Dei.

Languida fallacem perſuadent otia ſomnum ;
Ac fruſtrà cupiunt ora ſupina cibos.

ui vitam ad Legem, curat sibi Lege salutem,
6 Sed mors incautis imminet atra viis.

Fanerat is Domino, quisquis miseretur egentum,
7 Et sua abundanter restituenda dedit.

Castiga tenerum, dum spes manet integra natum,
8 Nec cedat querulis mens superata sonis.

Dum fugit impatiens, accersit crimine pœnam;
9 Inde opus est solvas, sylveris unde priùs.

Audi consilium, præceptisque annue rectis,
0 Extremum ut fias providus ante diem.

Scinditur humanum studia in contraria pectus:
1 Quod statuit Dominus constituetur opus.

Virtutem in voto cunctis decet esse priorem;
2 Et minus est opibus, quam bonitate frui.

Vitæ porta Dei Reverentia, plenus agetque
3 Hac plenus vitam, non cruciante malo.

Rectoris ignavus dextram sub tegmine condit,
4 Et negat ad fauces inde levare suas.

Iuste coerceto scurram, stolidusque cavebit;
5 Ut possit, doctum, doctior esse, mone.

Qui spoliat q; Patrem, matremque repellit amandi,
5 Pessimus est natus dedecorique datus.

Posità fuge Nate morâ documenta, vagari
Quæ longè à verâ cognitione jubent.

Vesci tur

Vescitur os pravum virtutis cæde; nec æquum
28 *Judicium placidè testis iniquus habet.*

Non eget experto malè ludens judice risus,
29 *Tergaque stultorum verbera digna manent.*

CAPVT. Vicesimum.

Ebriosorum, iras graves concitantium, pigrorum que vitia exponuntur: improborum probitatem sermone, & opere externo fingentium hypocrisis repudiatur; simplicitas coram Deo & hominibus commendatur; pigritiæ, falsitatis in commercijs, temeritatis, malitiæque damna, prudentium consiliorum usus, impietatis in parentes, subditorum opem, ultionis, falsitatis, ignorantiæ Dei, sacrilegijque mala à Deo & hominum judicio obvenientia, juventutis & senectutis ornamentum, improborumque fræni ostenduntur.

LVxuriat vinũ, rabiunt quoq; pocula musti
1 *Nec blando alterutri victus amore*
(*sap*

Vt leo rugitu, sic terret acumine princeps;
2 *Qui ciet hunc, animam prodit & ipse suam.*

Digna viro est tetricam dimittere Gloria Litem;
3 *At se dissidijs implicat omnis iners.*

Non colet ignavus tremefactus frigore terram;
4 *Et petet autumno, nec feret ullus opem.*

Pectore consilium velut alta reponitur unda,
5 *Fonte sed exhaustum deteget omne sagax.*

Virtutis quot mira suæ præconia cantant?
6 *Sed fidum in turba quis reperire potest?*

Qui sceleris puræ versatur tramite vitæ,
7 *Auspicio felix posteritatis erit.*

Iudicij solio dum Rex sedet altus Avito,
8 *Conspectu facinus dissipat omne suo.*

Ecquis in immenso dictum hoc sibi vendicet orbe,
9 *Mundavi pectus, crimine liber Ego?*

Mensuras varias, diversaq́, pondera veris,
10 *Ambo Deus scelerum spernit habenda gradu.*

De puero constat teneros adhibente lacertos,
11 *An bona promittat pondera veris opus.*

Pollentemque auditu aurem, visuque peritum
12 *Arte oculum, summâ fecit utrumque Deus.*

Discute, ne placiti doleas dispendia somni;
13 *Lumina aperta, cibis ut satiere, gere.*

Sordet, sordet, (ait) sed quum discesserit Emptor
14 *Tum pretium jactat, magnaque voce canit.*

Sunt aurum fulgens, præfulgentesque Lapilli;
15 *At superis gemmæ Labra polita sacræ.*

Tolle peregrini causâ spondentis amictum;
16 *Et priùs ignoti pignore stringe vadem.*

Dulcia sunt alijs, quæ fraus alimenta ministrat;
17 *His erit at demum turpis arena cibo.*

Consilio stabilita valet sententia mentis:
18 *Atque suas poscunt Bella gerenda moras.*

Rum

Rumigerans, rerumque vagus Delator, apertus
19 *Ac Gnatho, tibi sit neuter in æva comes.*

Jactat in alterutrum quisquis maledicta parentem:
20 *Obruet illius Nox sine fine diem.*

Prædia succedant opulenta rapacibus orsis,
21 *Sed vetat infractam pristina culpa moram.*

Talia ne dicas pro damnis damna rependam:
22 *At tu salvifici pacta morare Dei.*

Ponderis exodit Dominus mentita figuram:
23 *Nec facta in prædam Libra dolosa placet.*

Terminat Omnipotens hominis vestigia, certas
24 *Ergò referre sibi quis valet ante vias?*

Stringere se laqueo est sacra non temeranda vorare;
25 *Verbaq; de votis anxia ferre datis.*

Spiritus humanus Regis fax clara superni,
26 *Intima collustrans viscera luce sua.*

Rumpit iniquorum sapiens consortia Princeps,
27 *Et celerem torquet per fera colla rotam.*

Efficiunt salvum probitas, & Gratia Regem;
28 *Ac solium veniæ sustinet apta manus.*

Gloria compositis juvenum sua Robora membris:
29 *Canaq; cæsaries forma decora senum.*

Vulneris aufert vue turpis livore putredo:
30 *Plagarum & stomachi decidit arte tumor.*

CAPVT. Vicesimum Primum.

Potentissima Dei administratio justissimaque, inconsiderati animi; malè partarum opum, improbitatis, inconstantiæ muliebris, invidiæque damna; documentorum & judiciorum usus, inhumanitatis pœna; donorum vis; justitiæ, luxus, muliebrium contentionum mala cum justi administratione comparata fructibusque justitiæ & sapientiæ; superborum, pigrorum, improborum, mendacium, perversorumque eventa proponuntur, & omnia consilia Dei tribuuntur.

Corda manus Domini Regũ velut agmina aquarum
1 *Continet, inclinans quò sua jussa volunt.*

Se putat in recto quidam contendere calle,
2 *Sed Devs è tacito spectat agenda sinu.*

Ferre manum miseris, & Iussa facessere justa,
3 *Gratior est pecudum victima cæde Deo.*

Sublimos vultus, fastosum pectus, & ipsa
4 *Lumina iniquorum conscia sunt sceleris.*

Provenit ex studijs operosa copia mentis:
5 *Sed nil præcipiti redditur ingenio.*

Quærere thesauros linguâ mendace, triumphi
6 *Est vice, sollicitâ quærere mente necem.*

Vel sua diripiens ad vulnera furta rapaces:
7 *Quòd turpi jugulant fasq́; piumq́; lucro.*

Fertur in omne nefas aliena protervia cælo:
8 *Sed rectum puro corde fruentis opus.*

Præstat

Præstat in augusto versari culmine tecti,
9 *Quàm latâ effrænicum muliere domo.*

Noxia iniquus habet votis; nulloq; propinquum
10 *Livoris cæcus peste favore beat.*

Ante flagellato rudis irrisore docetur,
11 *Ingeniumq; sagax colligit unde minas.*

Spectat iniquorum memorans loca conscia justus,
12 *Pulvere ut Omnipotens mersit inerte reos.*

Qui rigidas inopum singultibus objcit aures,
13 *Neglectis demum fletibus ipse gemet.*

Conscia præcipitem demulcent dona furorem;
14 *Hostis & oblato victitur ære potens.*

Lætitiamq; pij, Rectum quo jure tuentur,
15 *Sed miseros reddent improba facta malos.*

Recta viæ ratio quo nulla tenetur eunte,
16 *Luminis expertum carcere claudet iter.*

Mæsta voluptatis cupido succedet egestas:
17 *Nec vini atque olei prodigus æra tenet.*

Ipse erit injustus pretium percuntis honesti;
18 *Quoque bonos premeret, tollet iniquus onus.*

Tempus in insolito concludere præstat Eremo;
19 *Quam cum rixosa conjuge ferre moram;*

Delitijs, oleoque domus sapientis abundat;
20 *Cuncta sed absumit prodiga posteritas.*

Quem ſua facta probant æquè juſtumq́, piumque,
21 *Inveniet viam, jus meritumq́, decus.*

Aſcendit ſapiens invitis fortibus urbem;
22 *Et fidei columen mœnia ſternit humi.*

Cui linguæ ac labium pariter cuſtodia curæ eſt,
23 *Rebus ab anguſtis protegit ille animam.*

Faſtoſi, tumidi, veſani nomine ſordet,
24 *Orta ſupercilio quem movet ira ſuo.*

Occidet ignavus voto rum vulnera paſſus,
25 *Vivere quod nollet ſedulitate manus.*

Hunc ſitis excruciat cum tempore major habendi:
26 *Dum parat ut tribuat munera multa pius.*

Hoſtia inìquorum profert faſtidia; quantò
27 *Plus, quum animo facinus præmeditante datur*

Proximus exitio dolus eſt in teſte, loquenti
28 *Cognita victoris digna trophæa manent.*

Separat ad facinus perfrictâ fronte ſceleſtus:
29 *Criminis at uentem purus in axe gerit*

Nullum eſt conſilium, ſolertia nulla paratus
30 *Divino oppoſita tutus in arce Duci.*

Prælia ſtat Sonipes ceſſuro milite cultus,
31 *Sed datur Excelſo caſtra tuente ſalus.*

CAPVT

Caput. Vicesimum secundum.

Fama prædicatur, prudentia & timore Dei comparata: juventutis institutio, divitiarum usus, superbiæ abdicatio, simplicitatis & gratiæ curâ, inertiæ & scortationis malum, puerilis disciplinæ bonum, mala ex avaritiæ studio provenientia exponuntur: deinde proposita nova doctrinæ commendatione subjiciuntur interdicta de non opprimendis infirmioribus, non adjungendis iracundis, non exhibenda temeritate, neque movendo termino; sed diligentia ad opus adhibenda.

1 *Plus opibus meruit voto bona fama teneri,*
Argentum atq; aurum vincit amica fides.

2 *Pulvere concurrunt locuples & pauper ab uno,*
Amborum Dominus conditor, atque parens.

3 *Effugit interitum sapiens quo prospicit astu;*
Sed pergunt stolidi, naufragiumq; ferunt.

4 *Submissos animos, Summi castumque timorem,*
Gloria, divitiæ, vita secunda beant.

5 *Sentibus, & laqueis via ducit operta protervum:*
Sed custos animæ sedulus ista cavet.

6 *Pone modum vitæ spatijs juvenilibus aptum:*
Prima nec ingenij deseret arva senex.

7 *Dives opum paribus dominatur egentibus armis,*
Servus & accipiens mutua dantis abit.

8 *Auras falce metet, pravas qui seminat artes,*
Et nudata suo virga furore tremet.

Lumin

Lumine messis erit spectanti læta benigno,
9 *Nam sibi visceribus condit egentis opes.*

Pellito risorem, nec jurgia sæva morantur;
10 *Sic dabis & rixas, opprobriumque fugæ,*

Qui labiûm candorem animi probitate coronat,
11 *Attingit summam Regis amicitiam.*

Ante oculos Domini versatur imago futuri:
12 *Quæque dedere truces, irrita verba facit.*

Clamitat ignavus truculentum instare Leonem,
13 *Conterar egressus dentibus esca feris.*

In foveam peregrina pari vocat ore profundam,
14 *Huc se præcipitem quem Deus odit, aget.*

Lubricus ingenijs hæret Iuvenilibus error,
15 *Inde sed ad pœnam virga parata fugat.*

Qui rapit ex inopum, proprijs ut censibus addat,
16 *Donat & expletis, ipse recedet inops.*

Aures inclina, sapientumque accipe dicta,
17 *Doctrinamque animus cogitet usque meam.*

Nam perjucundum est imis penetralibus ista
18 *Versare, atq; adeo cultiùs ore loqui.*

Fixa spei summo remaneret ut anchora Portu,
19 *Hoc tibi monstravi tempore, Nate tibi.*

An non sæpe etiam præcepta insignia scripsi,
20 *Illaque virtutis consilijque dedi?*

Vt fluat inde tibi perfecta scientia veri;
21 *Et responsa petit quitua, certa ferat.*

Ne spolies humilem, quia viribus indiget auri:
22 *Nec perimas causam pauperis ense fori.*

His etenim passis Pater altus in arma coibit,
23 *Et lacerantum animas conteret ipse suos.*

Fœdus in oppositum noli comes ire quieti;
24 *Dira nec ad facinus raptet Erinnys opem.*

Semita ne morem placeat tibi trita gerenti,
25 *Atque animam properes illaqueare tuam.*

Noli his misceri, qui miscent pignore dextras,
26 *Dant & in alternas nomina scripta vices.*

Sinec enim poteris Credentem explere, cubili
27 *Corpus ut orbaret cur licuisse dabas?*

Ne positas confunde pari cum pulvere metas,
28 *Quæ jus ex veterum more tuentur agris.*

Cernis an expertum rebus vigilare gerendis,
Attinget solium, plebis honore parum?

C'APVT.

CAPVT. Vicesimum. tertium.

Molestiæ apud principes adhibendæ avaritiæ, & avarorum simultatumque conversationis omittendæ præcepta: termini non transvendi, disciplinæ tradendæ, & accipiendæ, zeli sancti amplectendi, sapientiæ colendæ, comessatores fugiendi, parentum cole dorum, & meretricis aversandæ documenta proponuntur: ac postremò ebrietatis forma effectaque traduntur.

PRincipis accumbas mensis ubi pinguibus hospes,
1 *Parte tua positum Lux vigil omne premat.*

Et velut admoto jugulum mucrone coerce,
2 *Si te amor invadat, luxuriesve gulæ.*

Neve dapes avido properes inferre palato:
3 *Sunt etenim tacitis fercula mista dolis.*

Noli divitijs nimium sudare parandis,
4 *Fac animi stimulis abstineas q̃ tui.*

Ad nihil attolles oculos? nam insidera pennis
5 *Diffugiunt Aquilæ more volantis opes.*

Ejus ne comedas, oculus cui lividus, escas,
6 *Nec lautis inhient ora supina cibis.*

Talis enim qualis mens est; bibe, vescere dicit,
7 *Sed longè cordis te fera vota movent:*

Ejecta

Ejectare dapes coget, quas ante voraſti,
8 *Intenues fugient blandaq, verba notos.*

Ne tundas ſtolidi doctis rationibus aures;
9 *Spernet enim ingenij pignora ſumma tui.*

Iure tibi proprios noli tranſcendere fines,
10 *Orborum invadas nec violentus agrum,*

Fortis enim illorum Iudex, validuſque Redemptor,
11 *Ipſe in te cauſam, quam nequit orbus, aget.*

Accendat Doctrina ſitim, quam ſola levabit:
12 *Auris & eloquij flumen aperta trahat.*

Aſpera laſcivam compeſcant frena juventam,
13 *Nec ferula puerum verbera lenta necant.*

Percuties iterum prolixo membra flagello,
14 *Eripieſque animam faucibus ex Erebi.*

Nate tuum ſapiat ſi cor, mea viſcera magna
15 *Gaudia concipient, viſcera Nate mea.*

Et motâ graciles ſalient compagine renes,
16 *Quando tuo rerum perſonat ore fides.*

Ne invideas animo bona delinquentibus ægrò:
17 *Sed totum in Domini tranſige lege diem.*

Rectat enim tempus numerandi præmia cunctis,
18 *Fida nec in terram decidit ala ſpei.*

Audito Fili, ſapienſq, ac providus eſto,
19 *Atq, animam recto dirige calle tuam.* Po-

Pocula te nullo constringant ebria nexu,
20 *Nec simili quisquam ducat amore gula.*

Namq; fami cedet gurges carnisq; meriq;,
21 *Veste suamque piger sternet hiante cutem.*

Auscultato patri, quem te genuisse memento,
22 *Despice nec matrem, si modò vivat anus.*

Verum emito, nullo pretioq; remitte potitum,
23 *Atq; animi constent re tibi pluris opes.*

Multa Patri superant in honesto gaudia Nato,
24 *Læta sibi peperit, qui genuitq; probum.*

Delitias pariter geminabis utrique parenti,
25 *Quæque utero gessit, gestiet illa, gravi.*

Da mihi cor Fili, nostrasq; ad regna beata
26 *Ducentes spectent lumina cauta vias:*

Instar enim inferna meretrix sinuosa lacuna,
27 *Arctus ut & puteus fœmina ducta stupro.*

Exprimit astutum peragendà fraude latronem,
28 *Sæpius, & placido quò magis ense necat.*

Cui dolor & lachrymæ? cui jurgia sæva minaque?
29 *Vulneraq; indignæ facta furore manus?*

Atque cruenti oculi? Nonnè his qui pocula vini
30 *Multa trahunt, succo nectareoq; madent?*

Vers

Verte leves aciem vino referente colores,
31 *Quum salit, in fragili ridet idemq; vitro.*

Pungit ad extremum morsu velut aspis acerbo,
32 *Letiferum colubri virus & arte serit.*

Hoc tua diversis accendet lumina formis,
33 *Evomet hoc strages cor dominante truces.*

Talis eris, qualis dormitat in arbore Navis,
34 *Sternit & in gelido naufraga membra freto:*

Percussere (feres,) stupidus ne q; verbera sensi,
35 *Ingeminare vices, nec tamen ager eram;*

Quando (oporifera vis occidet ista falerni?
His epulis iterum sape vacare libet.

Caput.

CAPVT. Vicesimum Quartum.

Maleficorum aversatio, sapientiæ procuratio & usus, diligentia in difficultatibus alienis levandis & sapientia comparanda imperatur: afflictionum nostrarum modus, alienarum miseratio, maleficorum instabilitas, reverentia Dei & magistratus, effectaque reverentiæ, tum publica tum privata erga nostros & exteros exponuntur: ac postremo pigri conditio figuratur.

1 *ABsit iniquorum macrescere rebus opimis*
Iis neq; te socium reddat acerba fames.

Nam fera terribiles meditantur corda ruinas,
2 *Clamq; fremunt vetitum labra proterva scelus.*

Collocat excelsi molem Sapientia tecti,
3 *Fundatam stabilit provida cura domum.*

Implebitque sagax animi penetralia virtus
4 *Non minus utilibus, quam placidisque bonis.*

Vir sapiens etiam fortis, pariterque beatâ
5 *Ingeminat vires præditus Arte suas.*

Suscipies etenim posito moderamine Bellum,
6 *Arcaque consilij porta salutis erit.*

Vera super stolidi tendit sapientia captum:
7 *Non viget emeriti civis in ore lepor.*

Qui studet ut facinus, nocituraque proderet orbi,
8 *Pestiferi infamem contrahet ille notam.*

Frivo

Frivola qui ſecum repetit delirìa peccat;
Nauſea ſubridens ſit quoque ſcurra virum.

Quas tulit atra dies miſeris langueſcere rebus,
10 Degeneres animos inſtabileſque probat.

Erue ſi poteris indigna ad vulnera raptos,
11 Ac miſera juſſos claudere cæde moras.

Dixeris at demùm caſus neſcivimus iſtos,
12 Non qui corda videt judicat ipſe nefas?

Continet atque animas, illi nùm ignota voluntas,
Et non pro meritis omne rependet opus?

Nate volens comedas quia ſana liquentia mella,
13 Et, quia dulce ſapit preſſus ab ore, favum.

Nec minus ipſa animæ dulcedinis afferet alma,
14 Occupat ut caſtum ſumma Magiſtra ſinum:

Et tibi juſta die reddentur munera grato,
Nec deerit fidei porta ſecunda tuæ.

Oppugnare dolis noli ſcelerate piorum
15 Limina, præſidij nec violare locum:

Nam juſtus quandoq; cadit lapſuſq; reſurgit;
16 Invictà pereunt impietate mali.

Ne tibi ſubjiciat inimici gaudia caſus,
17 Neve cor exultet quum titubare vides,

Ne ſi conſtaret Domino, ruitura moveret,
18 Vindictæ in veniam vertere tela ſuæ.

Inviſas

Inuisis animum noli cruciare malignis;
19 *Aut secreto odio dilacerare truces.*

Nulla etenim panas scelerati finiet hora,
20 *Luxq; sub aterna nocte premenda fugit.*

Nate time Dominum; Regem pariterq; vercre:
21 *Solvat & Imperij factio nulla fidem.*

Instat enim citior vindicta Aquilone, satisq;,
22 *Quam gravis interitus restat utriq;, patet.*

Hac etiam spectant sapientes: Expedit aquo
23 *Judicio causam pendere, non hominem.*

Qui scelerato inquit justus tu, congeret atris
24 *Hunc populus diris, invidiâq; Tribus;*

Qui tamen objurgat, conscendet culmina laudis;
25 *Conferet ac Summi dona beata favor.*

Oscula quisq; suis affiget dulcia labris,
26 *Qui dat pro verbis congrua verba datis.*

Quære per immensas operi conformia sylvas,
27 *Pergito tum demùm membra ligare domui.*

Crimine vicinum noli insimulare malignus,
28 *Nec molli invidiam cortice labra premant.*

Illi, ne dicas, faciam, ut mihi fecerit ante:
29 *Ac pretium meritis par feret ipse suis.*

Rura per Agricolæ vadi torpore soluti,
30 *Quâq; inopi mentis vinea parte stetit.*

etiam rigidis ceſſerunt omnia dumis,
Et tulit vrticas debile fronte ſolum.

rus ad hæc cecidit : Quæ cùm vidi atq; revolvi
Mente, per exemplum cura perita ſubit ;

parum dormire, parum dare lumina ſommo,
Intorquere parum brachia lenta placet?

ra ſuperveniet tibi ſic velut hoſtis egeſtas,
Spretaq; pauperies cinctus ut enſe pugil.

CAPVT. Viceſimum Quintum.

ium regis in ſuos & horum in regem, litigiorum modus, repre-enſionumque commodè & modeſtè faciendarum & accipienda-um uſus : amicitia, veritaſque officiciorum erga amicos, & ini-icos : fugiendæ detractionis & rixæ leges, boni ſermonis fructus, diverſitatum bonis evenientium à ſceleratis indignitas, denique anitas hominum honori ſuo velificantium, & effrænatorum roponitur.

Radidit hæc etiã Solomon problemata, Iudæ
I Regis Hezechiæ quæ retulere viri.

ia magna Dei eſt nobis arcana tacere :
Abdita ſed Regis fit reperire decus.

liferos cælorum orbes, Telluris abyſſum,
Atq; animum Regis quis penetrare poteſt ?

alentem ſcoriam pretioſo deme Metallo,
Purus & exibit ſordibus igne calix.

Sublatis

Sublatis penitus conſpectu Regis iniquis,
Iuſtitiâ fultum ſemper erit ſolium.

Tollere ventoſas præſenti Principe criſtas,
Et loca Magnatum ſcandere celſa cave.

Præſtat enim veterì patienter ſede morari,
Surgere dum jubeat vox placitura gradu,

Quàm citò detrudi, ſummo tibi Teſte pudoris,
Spectarunt oculi quem ſine labe priùs.

Iurgia ne temerè moveas, compeſcere tandem,
Ne ſine damnoſo mota pudore queas.

Solus cum ſolo cauſam tractabis amico,
Arcani varios participeſq; fuge.

Ne maculâ infami quoquam referente noteris,
Dedecus errati ſitq; perenne tui.

Diſpoſitus benè ſermo nitet velut aurea poma,
Explicat argenti qualia fronde faber.

Ut Margaritum fulgens, atq; aurea Inauris,
Sic monitor docili ſcitus in aure viget.

Fidus ita reficit mittentem nuncius, uſtum,
Ut nivis autumno frigora rara ſolum.

Munera qui jactat, jactataq; nulla miniſtrat,
Eſt veluti nubes, ventus & imbris egens.

Subjecti minuit patientia Principis iram,
Saxea mollities oris & oſſa forat.

Tant

ntum ede, sufficiat quantum tibi, mellis adepti,
5 Ne graue, quò subijt calle, resultet onus.

rus ad oppositos vicini tende Penates;
7 Ne pariant odium tædia fortè tui.

alleus ut rigidus, gladiusq́ & acuta sagitta,
Vicino falsus sic quoque testis obest.

æ datur infido fiducia rebus in arctis,
9 Est quasi præruptus dens, mutilumq́ femur.

rpus ut urgenti qui frigore nudat amictu,
0 Atq́ liquore tumens spargit acente nitrum,

t etiam facit, ærumnoso carmina cordi,
Dulcisonam cogit qui recitare lyram.

esuriat, præbeto cibos, inimicus, amicos,
2 Si sitiatq́, libens pocula chara move.

c caput indomiti flammis cumulabis & igne,
2 Præmia digna tibi retribuente Deo.

orridus insanos Boreas dispellit ut imbres,
3 Sic abigit linguam frons caperata trucem.

ulmine conclusis præstat remanere latebris,
4 Fœmina, quam patulo clamat ubi alta lare.

rigida ceu placidè sitiens rigat unda palatum,
5 Longinquâ ex terrâ sic bona fama venit.

ons quasi turbatus, vitiataque vena veneno,
6 Qui cadit est justus, conspiciente malo.

Flava

Flava nec immodicè desumere mella salubre est,
27 *Gloria nec laudes pangere vera suas.*

Qui nequit Affectus facili cohibere catena,
28 *Est velut vrbs muro quæ spoliata patet.*

CAPVT. Vicesimum Sextum.

Inhonora stultorum conditio, inanis maledictio, supplicii in stultum & reprehensionis leges, ejusdem importunitas & imprudentia: arrogantis, pigri turbulenti, fallacis, suspitionis, & inimici fingentis amicum conditio exponitur, cautio imperatur, supplicium denunciatur.

VT nix æstati, gelida autumnoque procellæ,
1 *Sic stolido minimè convenit altus honos.*

Passer ut errat agris, levitate vagatur Hirundo;
2 *Sic malè devotas transferet aura minas.*

Præstat equo flagrum, rudenti camus Asello,
3 *Ac tergum insulsi virga pudenda decet.*

Non responsa dabis stolido referentia stultum,
4 *Stultitiæ formâ ne capiare pari:*

At stolido responsa dabis vincentia stultum,
5 *Ne sapiat visu raptus ad astra suo.*

Claudicat & pedibus, sordes atque ebibit atras,
6 *Qui sua per fatuum verba ferenda dedit.*

Ti

Tibiæ ut incessu non quadrat tibia claudi,
7 *Sic malè dicta sonant ore perita rudi.*

Selectum ut lapidem lapidum qui involvit acervo;
8 *Sic facit, accumulat qui squis honore rudem.*

Futilis ore nocent morsus sum moribus æquus,
9 *Ebrij ut & penetrat spina retenta manum.*

Judicium ut causis imponit in ordine finem,
10 *Sic iræ antevenit qui stolidosq; premit.*

Præmia stultitiæ, vitijsq; potentibus aptat,
11 *Qui statuit justo pondere cuncta Deus.*

Sic repetit vanos imprudens sæpe furores,
12 *Ut redit ad vomitum crapulâ agente canis.*

An sibi forte vides quem præbet opinio doctum,
13 *Certior est stolidum posse valere fides?*

En (ait Ignavus) spatium Leo claudit cunti,
14 *Ac prædam in vicis sæva Leæna petit.*

Stridulæ ut immoto vertuntur cardine valvæ,
15 *Sic piger hausta movet membra sopore thoro.*

Non levis ille manum labor est super ora referre,
16 *Quam gremio abscondis desidiose tuo.*

Se magis insignem segnis putat esse parato
17 *Reddere quam septem, quos penes ore ratum est*

Non minus aure canem vellente, sub hostibus audet
18 *Fortuitis pugnæ qui dare sponte latus.*

Insani qualis cerebri vertigine captus,
19 *Qui instrumenta necis, tela faces q; jacit,*

Talis item quisquis vicinum fraude gravavit,
Atque joco tandem se nocuisse refert.

Vt crepitans ligno moritura est flamma remoto,
20 *Tolle susurronem sic quoque rixa perit.*

Ignis ut & stipulis, & fomite flamma cietur,
21 *Materiam litis sic furiosus alit.*

Verba susurronis sunt tanquam Vulnera, cordis
22 *Morsu etiam carpunt interiora suo.*

Ornat ut argenti rutilans vas fictile sordes,
23 *Cerita prætexunt fervida labra rigens.*

Dissimulat linguâ fraudes quoq; mente repostas
24 *Invidus, ut lædat tutius usq; gerit.*

Ne credas etiam submissâ voce loquenti,
25 *Namq; latent septem pectore nequitiæ.*

Ejus in aspectu scelus enudabitur orbis,
26 *Versutis odium qui tegit acre dolis.*

Opprimet adverso volventem pondere saxum:
27 *Incidet in foveam fossor & ipse suam.*

Invidiâ torquet mendax quos lingua subegit,
28 *Et pariunt clades blanda labella feras.*

Capvt.

CAPVT. Vicesimum. Septimum.

Præsidentis gloriationis & stultorum indignationis malum, piæ rereprehensionis usus, saturitatis & inconstantiæ damna, amicorum usus, filiorum officium, prudentis & imprudentis comparatio, assentatoris malum rixosæque mulieris, consuetudinis & officiorum usus, humani Vultus & animi instabilitas, stultitiæ vis indomita, & frugalitatis præstantia exponitur.

CRastina ne jactes quæ lux tibi fœnora reddat:
1 *Ignoras quid enim proferat una dies.*

Laudibus extollant alij te, non tua labra;
2 *Non tua te, te sed vox aliena canat.*

Et gravitate lapis, & pondere vincit arena:
3 *Sed stolidi gravior cæcus utroq; furor.*

Ira modum superat, facit & crudeliter astrum:
4 *Livoris sed quis verbera ferre potest?*

Publica delicti melior censura timendi,
5 *Quàm latitans, ubi res verba requirit, amor.*

Vulnera amicorum valvæ sunt fida salutis;
6 *Hostis at interni Basia plena doli.*

Esurienti animæ quod amarum dulce videtur;
7 *Despicit Hybleos sed saturata favos.*

Sicut Avis nova rura petit, nidumq; relinquit,
8 *Sic domus est omni limine nulla vago.*

Non sic unguentum cordi Panchæaq̃, thura,
9 *Quam præcepta viri mitis amica placent.*

Ne discede tuo, veteri neq̃, patris amicæ:
10 *Nec pete fraternos sorte tonante Lares.*

Pluris enim est vicinus, opem qui præstat egenti,
Sanguine quàm frater qui prope, mente procul.

Nate studens virtuti animum solare parentis,
11 *In probra jactantes ut proba verba feram.*

Et videt instantem sapiens vitatq̃, ruinam,
12 *Fata parum rapido stultus iniqua gradu.*

Tolle sibi vestem, pœnam qui absentis onusti
13 *Suscipit, incertum depositoq̃, Liga.*

Voce sub auroram blandâ qui laudat amicum,
14 *Non illi absimilem, qui maledicit, habe.*

Frigoris hyberno stillantis ab aere guttæ,
15 *Plexaq̃, sunt pariter famina lite graves.*

Hanc quicunq̃, tegit ventos sub veste coercet,
16 *Atq̃, oleum in dextra quod retinere nequit.*

Ut ferro exteritur ferrum, sic asper amici
17 *Exacuit faciem, bile tumere docens.*

Qui ficum servat, fructu vescetur amano;
18 *Custodiq̃, sui gloria restat Heri.*

Aspicit ut facies faciem spectantis in undis;
19 *Cor ita rimanti per sua signa patet.*

Semper

Semper hiant fauces tumuliq; ac ditis ; ocelli
20 Sic cupidi nullum continuere modum.

Fabrica vt argentũ, fornax quoq; spectat vt aurũ ;
21 Sic decus ingenium pungit & ungit idem.

In pila pilo stolidum si more farinæ
22 Contuderis, animus non tamen alter erit.

Consulito pecori salebrosa per arva vaganti,
23 Et penitùs morem disce referre gregis.

Non etenim retinentur opes sine fine superbæ,
24 Aut viget in cunctos alta corona Tribus ?

Pullulat vt gramen fruticosaq; prata virescunt,
25 Vstaq; procerìs montibus herba rìget.

Materiam præstant tenerì pro vestibus agni :
26 Atq; hedi ad pretium constituuntur agri.

Sufficiat domui Caprini copia lactis,
27 Ancillis victum præbeat illa tuis.

CAPVT. Vicesimum Octavum.

Conscientiæ affectus; improborum instabilitas, judiciaque perversa, integri autem in paupertate & obsequij fructus; usuræ improbitatis, arrogantiæ, & afinis administrationis eventa, resipiscentiæ & timoris Dei commodum, tyrannidis conditio, homicidarum aversatio, frugalitatis & diligentiæ, corrupti judicij, subitarum divitiarum, filij contumacis, præsidentis viri, maleficiorumque eventa exponuntur, & contra.

QVem nemo insequitur fictas fugit impius umbras,
Pergit at audacter justus, ut ipse Leo.

Mole sibi Dominos populi trahit error: At aptis
2 Consulibus fiunt prospera Regna Ducis.

Insectator inops inopum, quasi spumeus imber,
3 Qui gravidam teneris fructibus orbat humum.

Lex quibus est oneri, sceleratos laudibus ornant;
4 Indignantur eis, qui sacra pacta colunt.

Fit stupor ex pravâ dominante libidine sensus:
5 Quærentes Dominum fasque nefasque sciunt.

Qui fruitur modicis tendens pede simplice rebus,
6 Præstat ei quisquis diffluit inter opes.

Filius est sapiens qui Legi obtemperat, at qui
7 Bacchantes sequitur, Proh pudor ille patris!

Fœnore & injusto quæstu cui census abundat,
8 Cogit, ut in miserum dividat alter opem.

Abstra

Abſtrahit, vt Legem quiſquis minus audiat, aurem,
9 *Exoſas penitus fundet ad aſtra preces.*

Qui rectos errare facit, cadet ipſe paratam
10 *Infoveam: Merces ſed manet alma pios.*

Non minus ingenij quam auri ſe credit habere
11 *Dives, at explorat facta peritus inops.*

Gloria magna pijs ferit exultantibus æther;
12 *Turpibus elatis publica feſta ſilent.*

Crimina qui reticet, gratis ſe fructibus orbat:
13 *Sed veniam inveniet, qui patefacta fugit.*

Felix qui ſemper trepidantibus utitur auſis:
14 *Mentis at infractus naufraga vela feret.*

Imminet in plebem dominus ſic turpis egenam,
15 *Vtq; Leo rugens, urſus & uſq; rapax.*

Qui nequit ipſe pati, ſævitque tyrannide Princeps;
16 *Multiplices coeunt ſordis in hoſte dies.*

Qui petit alterius violenta cæde cruorem,
17 *In barathrum fugiat, nec vetet ullus iter.*

Diriget ad certam veſtigia Norma ſalutem;
18 *Occidet effræmis ſed ſemel atque ſimul.*

Frugibus undabit, terram qui ſcindit aratro:
19 *Sed dabitur pigro copia ſola famis.*

Multa ſupervenient patienter munera fido;
20 *Qui properat fieri dives, eritque reus.*

Iudic

Iudicio personam hominis qui respicit errat:
21 *Abrumpet frusto fas miser omne dato.*

Qui festinat opes cumulare, malignus in omnes
22 *Non toleranda sibi damna futura videt.*

Gratior erranti, qui corripit, inde recurret,
23 *Quàm parasitus edax molliter ora movens.*

Qui rapit utrivis, scelus & negat esse parenti;
24 *Ausa latrocinio non sibi culpa minor.*

Noxia turgentes accendunt jurgia mentes;
25 *Relligiosa facit pinguia membra quies.*

Stulta fides, animi quæ pondere nititur uno,
26 *Prudenter positos fert via tuta pedes.*

Qui dat pauperibus, non paupertate premetur:
27 *Sed flectent dira, quem nequiere preces.*

Impij ut assurgunt, coguntur in abdita justi
28 *Depressis iterum prodit honesta cohors.*

Caput.

CAPVT. Vicesimum Nonum.

Contumacium ruina, publicæ & privatæ administrationis, corruptionis, assentationis, defectionis, negligentiæ in judicijs, ludificationis, stultitiæ, inhumanitatis, stolididatis, inclinationis ad res falsas, integritatis, fidei, correctionis privatæ & publicæ; indulgentiæ, iracundiæ, superbiæ, maleficij perpetrati, aut dissimulati, infidelitatis, impietatisque & contra effecta ostenduntur.

SEria qui rigidà cervice monentibus obstat,
1 *Interiet subitò, destituendus ope.*

Quum teneant clavum Iusti, Respublica gaudet:
2 *At sub pravorum plebs gemit imperio.*

Prole suá virtus lætum facit orta Parentem,
3 *Nutritor scorti, perditor hospitij.*

Evehit æquanimi Princeps moderamine terram:
4 *Regna sed evertit subditus alta Lucro.*

Vicini blandis qui mulcet vocibus aures,
5 *Hac parat occultas gressibus arte plagas.*

Quem scelus extendit, laqueo sibi fortè nocebit;
6 *Sed pangent calamo gaudia longa pius.*

Pauperis attentus causam dijudicat æquo;
7 *Negligit at miserum rebus adesse vorax.*

Accendunt urbem sufflati pectora fastu:
8 *Sed mala prudentes irruitura fugant.*

Cum ſtolido ſapiens ſi quis contenderit, ægrè,
9 *Seria ſive jocos verba ſequuta feret.*

Virus in Inſontes avidus jacit omne cruoris,
10 *Quos ſupereſſe animæ juſtus amore cupit.*

Depromit totam inſipiens ab origine mentem:
11 *Sed voces differt tempora in apta ſagax.*

Quum facilè admittit Princeps mendacia ſervis
12 *Omnibus ad facinus ſemita lata patet.*

Rex inopum rectâ perpendens lance querelas
13 *Confirmat Solium tempus in omne ſuum.*

Orbis in hoc coeunt dives pauperque theatro:
14 *Diſponit placitum lumen utrique Deus.*

Prudentes faciunt virga, & correptio: matrem
15 *At tibi dimiſſus privat honore puer.*

Ius ſibi præpoſitis ſcelus elargitur iniquis:
16 *Quos iterum juſtis tollet aperta lues.*

Ut tibi ſit requies, maturè corrige natum:
17 *Inſtrue, ſic votis par erit ille tuis.*

Vox ubi ſancta ſilet, plebs neſcia corruit aqui:
18 *Cultores ſtabilit Lex bonitate Dei.*

Non faciunt ſervum meliorem verba rebellem;
19 *Obſequium fruſtrà qui ſine fuſte ſapit.*

Velocemuè vides incpina profundere verba:
20 *Auſpicium ſtolidi ſanius ore datur.*

Nutrit ab invalidis famulum qui molliter annis,
21 *Postremum Nato sentiet esse parem.*

Jurgia Bile tumens agitat, facilemq; cieri
22 *Pellit ad insanum quælibet aura nefas.*

Condet inerte caput cristatum mole superbus;
23 *Sed rata mansuetum gloria tollet humo.*

Despicit ille animam, furi qui credidit aurem,
24 *Mente fovet diras conscius inde minas.*

Mox cadet humanæ sensu conterritus iræ,
25 *In se sperantes sospitat Omnipotens.*

Judicis inprimis quæsita est gratia multis:
26 *Auspice judicium sed venit omne Deo.*

Injustum justi sic aspernantur, ut æquo
27 *Tramite pergentem spernit iniqua phalanx.*

CAPVT. Tricesimum.

Agur pio rum fidem in Christum & abnegationem sui proponit ex verbo Dei: precationem adhibet de iis rebus quæ ad animum & corpus pertinent: detractione interdicit, reproborum genera explicat: deinde species insatiabiles, incognitas, hominibus intolerabiles, sapientes, & invictas in exemplum proponit: omnesque ad humilitatem & modestiam hortatur.

DOctis verba viri studijs, & origine clari,
1 *Visio quã Deus huic præbuit, hic Homini.*

Inter mortales brutis ego proximus vnus,
2 *Viribus humanis par neque sensus adest.*

Non etenim didici quantum Sapientia possit:
3 *Nec via consilij claruit alta sacri.*

Summa quis ascendit nitidi fastigia cæl?
4 *Aut quis descensu contigit inde solum?*

Quis ventos pugno tenuit, circundedit undas
Veste? quis oppositas nexuit orbe plagas?

Dic modò, si nosti, quâ ducit origine famam,
Aut quod habet nomen Filius arte refer.

Omne Dei verbum flammanti purius igne;
5 *Induitur clypeus fortibus ipse fide:*

Effatis nihil adde suis, ne denique crimen
6 *Arguat, & mendax inveniare tuis.*

Te Pater oravi duplici subscribere voto,
7 *Ne mihi deficias, accidat ante mori?*

Ame vana procul remore, fucataq; labra:
8 *Nec mihi divitias pauperiemq; dato.*

Que relevent q; famem concede cibaria tantum:
9 *Copia ne immemorem reddat opima Tui,*

Ac Dominus, referam quis? paupertate coactus
Aut furer, nomen devoveamq; sacrum?

Ad dominum noli servum insimulare precetur
10 *Ne tibi fata doli pernicioſa reo.*

Est que persequitur diris generatio patrem;
11 *Nec pro matre suâ debita vota tulit.*

Est vitiorum expers proprio generatio visu,
12 *Nec mundata tamen sordibus illa suis.*

Est, ô quàm excelsi, generatio, cujus ocelli,
13 *Palpebræ & intentant sidera celsa minis.*

Est tanquam gladios acuens generatio dentes;
14 *Et Maxillares cuspidis instar habens,*

Vt sibi plebeios hominum de gente voraret,
Atq; inopes toto traderet orbe neci.

Furcillas linguâ prætendit Hirudo gemellas,
15 *Da da clamantes, temporis absq; morâ.*

Sunt tria que nunquam repetunt expleta quietem,
16 *Et quartum dicit non satis esse sibi.*

Terra

Terra bibens undas, uterus ſterilisque, Sepulchrum,
Materiamque ignis qui ſitit uſque novam.

Subſannat quicunque patrem ſine labe verendum,
17 *Reſpuit & monitus a Genitrice datos ;*

Suffodiant oculum corvi torrentibus atri,
Fulminaque voret progenies Aquilæ.

Sunt tria quæ ſuperant noſtrum vulgaria captum,
18 *Et quartum penitus me, mihi crede, latet.*

Reginæ volucrum ludentis in aere curſus,
19 *Contortum ſcopulo flexilis Anguis iter.*

Semita tranantis ſubitò freta longa Carinæ,
Dilectâ juvenis cum Mulicre via :

Fœmina ſic mores componit adultera, terſo
20 *Poſt epulas feci nil (ait) ore mali.*

Aſperitate trium fortiſſima terra movetur,
21 *Et quarti indignum ferre gemiſcit onus:*

Imperium famuli mutatâ ſorte tenentis,
22 *Cum gula, recordis, temnit onuſta dapes:*

Acceptæ in thalami ſævæ mulieris amores,
23 *Ancillæque locum mortuæ habentis Hevæ.*

Quatuor in terris minimo modò corpore conſtant,
24 *Ingenio vincunt ingenioſa tamen ;*

Formicæ populus nervoſis viribus expers,
25 *Lauta ſed ardenti fercula meſſe parant ;*

Plebs

Plebs infirma feris & inepta Lepuſculus armis,
26 Tecta tamen duris rupibus alta ſtruit.

Principe ruricolæ ſemper caruere Cicadæ,
27 Quotidie in turmis ſed peragrare vide.

Pendula lanificis luctatur Aranea fibris,
28 Regaleſque aulas incolit arte valens.

Laudatu tria ſunt dignos agitantia greſſus,
29 Pulchrius & quartum calcat honore ſolum.

Per virides pecorum Leo dux fortiſſimus umbras,
30 Nullius occurſum tela doloſve pavens.

Et ſuccinctus Equus validos ad prælia lumbos,
31 Ceu clypeumque Aries cornua flexa gerens.

Rex Deus in terris alter, mortaleque numen,
Cui ſemper caveant diſplicuiſſe ſui.

Si te jactando dementer feceris, aut ſi
32 Mente nefas tuleris, pollice labra prome.

Ducitur ut ſtolidum concuſſo ex lacte butirum,
33 Naribus intortis ejicitur q; cruor.

Sic tumidam verbis cumulare procacibus iram,
Parturit innumeris jurgia plena malis.

CAPVT. Triceſimum Primum.

Rex docetur cavere à mulieribus & vino, juſtitiamque diligenter colere: deinde inſtituitur ut bonam uxorem à Deo expetat, & encomium illius deſcribitur.

NObilis imperio Lamuelis verba Polito,
Quæ didicit, Iuveni referente Oracula (matre:

Carmen Aſclepiadeum.

1 *Fili quid, quid & ô fili uteri mei,*
Votorumq́ placens redditus omnium?

2 *Vires fœmineis abnue Luxibus,*
Cenſuſque, interitum quæ Ducibus ferent.

3 *Non eſt ô Lemuel Regibus inclitis,*
Non eſt conveniens vina nocentia
Potare, aut rapidum Principibus merum:

4 *Ne tandem laquei pocula fortium*
Reddant immemori judicio truces,
Et cauſas inopum turpiter obruant.

5 *Stertentem Siceram ferte dolentibus,*
Afflictiſque recens pectore Maſſicum.

6 *Paupertas animum ne ſubeat bibant,*
Nec ſortem miſeram poſtea defleant.

7 Pro invite

7 *Pro invitè tacitis ora resolvito,*
Ac te præsidium rebus in asperis
Cunctorum perhibe dispereuntium.

8 *Audax os aperi, rectaq; præcipe,*
Nudumq; ac inopem vindicijs leva.

9 *Quis fortem inveniat (dic modo) Faminam?*
Gemmas hæc precio vincit amabiles.

10 *In qua spes animat mutua Conjugem,*
Nec falix spolijs indiget arduis.

11 *Reddit grata viro commoda, noxijs*
Semotis, Lachesis stamina dum trahat.

12 *Et lanam petit, & lina volentibus*
Contrectat digitis, apta laboribus.

13 *Mercatum intrepidis per freta Navibus*
Tractantum similis, victui idonea
Transfert sepositis è Regionibus.

14 *Nondum Lucifero stragula deserit*
Exorto, famulis fructaq; dividit,
Ancillisque suis digna cibaria.

15 *Agrum cogitat, & comparat utilem;*
Et plantat manuum fœnore vineam.

16 *Accingit graciles provida viribus*
Lumbos, inq; operam brachia roborat.

17 *Fœcun-*

17 *Fœcundum videt instare negotijs :*
Obscurâ vigilat nocte lucernula.

18 *Fusum circumagit dextra volubilem,*
Molli læva colo stamina protrahit.

19 *Tendit munificam pauperibus manum*
Ac palmas miseris porrigit hospitas.

20 *Frigus non timet obstare domesticis*
Dum quisq; induitur tegmine coccino.

21 *Picturata sibi stragula conficit*
Ex byſſo ac Tyrio pallia murice.

22 *In portis resonat gloria Conjugis,*
Conventu Procerum quum sedet aureo.

23 *Fingit vendibilem pollice sindonem*
Ac tradit dominis balteа mercium.

24 *Vestimenta decor mentis, & Indoles,*
Gaudebit pariter luce noviſſimâ.

25 *Mirandâ loquitur cum sapientiâ*
Et lex in labijs est verecundia.

26 *Calles illa domus sollicitè inspicit :*
Panem desidia non vorat anxium.

27 *Surgunt mane citò ex ordine Liberi,*
Et cultam celebri nomine prædicant,
Extollit meritis vir quoq; laudibus.

Multæ multa (canit) ſplendida filiæ
Fecerunt, potior tu tamen omnibus.

Et fallax favor eſt, formaq; lubrica:
Splendebit mulier quæ Dominum timet.

De fructu manuum huic reddite, factaq;
In portis reſonet fortia gloriam.

FINIS Libri PROVERBIORVM.

IN

IN LIBRVM ECCLESIASTÆ.

CAPVT. Primum.

Sapiens omnis humani studij laborisque vanitatem in hac vita summam esse docet, tum propter hominum ipsorum, tum propter rerum vanitatem de quibus laborant: & ab experientia sua hoc argumentum confirmat de jis rebus, quæ in scientia & cognitione posita sunt.

Ille ego qui nuper brevibus Proverbia Nodis
Implicui, laxis Præco modulatibus utor:
Nec vulgaris enim Ieſſea è ſtirpe Propago,
Nomine qui Solomon, celeberrima Regna potitus,
Et non æquandà Solymæ florentia pace.

Vanius ex vanis, vano quid vanius ipſo
Concionator ait, mundi ſunt omnia vana.

Commoda quæ reddunt homini niſi pulveris inſtar
Difficiles quotquot patitur ſub ſole labores?

Ordi-

4 *Ordine Fatorum generatio præterit una,*
Altera subsequitur, manet at per sæcula Tellus.

5 *Occidit atq; oritur Lampas clarissima cæli,*
Præcipitiq; rotâ semper loca prima revisit.

6 *Per latus irrumpens Libycũ? deflectit ad Arctos*
Ventus, & æternis volitat prope sydera gyris,
Circuituq; locos solito ferit usq; priores.

7 *Singula in immensum labuntur flumina pontũ,*
Nec magis intumuit, fluvij dum lege perenni
Unde ruere, cito quærunt sua littora cursu.

8 *Omnia sunt (dixi) mortalia plena laboris,*
Mortalis plus quam valeat describere lingua:
Non oculum miranda satis spectacula sistunt,
Nec vocis, citharæq; melos plenè afficit aurem.

9 *Illud in orbe priùs fuit, est quod in orbe futurũ:*
Cuncta q; jam fiunt, fieri quæ posse putatis:
Nil penitusq; novum Luxindicat aurea terris.

10 *Ecce recens istud vel quis modo diceret apte?*
Antiquis præcessit enim non dispar in annis.

11 *Non priùs actarum nunc plena scientia rerum,*
Sed nec agendarum durabit ad ultima sæcla.

12 † *Concionator ego Pacidùm diademate quondã*
Insignis, clarâ Solymarum Primus in urbe:

13 *Quum fuit in studijs cunctorũ exquirere causas,*
Syderibus quæcunq; patens circundat Olympus,

Fla-

Flammifero captus Sophiæ sublimis amore :
Hoc sapiens commisit onus grave Conditor orbis
Humano generi, ut sic deprimeretur agendo.

4 Singula quæ fiunt vidi, quà lumina Titan
Mittit, & ecce dolor mentis sunt, vanaq; cuncta.

5 Quod flexit natura, manus vix dirigit artis,
Corpora defectus superant numeroque figuræ.

6 Corde meo reputans dixi sic; en ego magnas
Res tetigi, cunctos agilique sapore præivi,
Quime non orto Solymam incoluere potentem;
Et jubar ingenij doctrinâ fulsit acuti,
Multaque præclarum dedit experientiâ rerum.

7 Mens quoque noscendi conamine crevit honestũ,
Nec non stultitiam, simul erroremque profanum.
Fectus & in varios vidi hæc raptura tumultus.

8 Multa etenim multam retinet sapientia curam,
Crescit & ipsa sitis cum cognitione sciendi.

CAPVT.

CAPVT. Secundum.

Sapiens vanitatem rerum humanarum docet ab incerto illarum usu, quem se expertum confitetur: i aque ostendit primum vanitatem lætitiæ, quam ex usu vel maximarum commoditatum perceperat; deinde humanæ illius sapientiæ cum ultitia comparatæ: ac postremò imbecillitatem hominis in bono suo fruendo, aut transferendo quia monia pendent ex œconomia Dei.

1 *Dixi Ego corde meo blandis te (nunc age) (mund*
Delitijs tentabo, Bonis genialibus ergo
Perfruere, hoc etiam vidi levitate refertum.

2 *De tremulo dixi, brevis es dementia, Risu,*
Ac de Lætitiâ, quid quod facis? inconsultâ.

3 *Tunc intus statui redolente madere Falerno,*
Amplectens sapientiæ adhuc unaq́ labores,
Stultitiam nec non paulum enutrire putavi,
Donec sentirem quid primum optabile natis
Semine mortali fuerit, factuq́ necesse,
Per totum vitæ subter sacra sydera cursum.

4 *Magna opera institui, struxiq́ palatiâ celsa,*
Læta coronavi tumidis hinc vitibus arva.

5 *Hortos inde solo posui vegetante salubres;*
Quæq́ redundarunt quo non Pomaria fructu?

6 *Confeci mihi stagna frequens quorũ unda rigaret*
Vernicomã sylvam fruticum genus omne ferentẽ.

7 Constitu

7 *Constitit ad nutum mihi sexus uterq́ ministr*
Servitioq́ patens, adeo vt domus ampla fuisset:
Innumeros oviumq́ greges, Armentaq; multa
Possedi quot nemo sacris priùs extulit oris.

8 *Congessi argentum, rutilumq́ insignius aur*
Miraq́ terrarum, Gazas Regumq́ superbas.
Quid referam expertos sexus utriusq́ canendi
Delitiasq́ hominum gaudet quibus undiq́ prole
Organa ceù latis resonantia musica chordis,
Quæcunq́ ingenuâ mirè finguntur ab Arte?

9 *Evasi sic magnus, opum mihi tanta fuitq́*
Copia, quanta piam nulli Solymam ante colenti
Ac mecum ingenij gravitas veneranda remans

10 *Præterea cupidis quodcunq́ placeret ocellis*
Nequaquam abduxi, cordi neq́ defuit ulla
Lætitia, at cunctis concepit gaudia cæptis:
Hanc quoq́ mercedem statui conatibus aptam.

11 *Tunc ego convertens simul omnia gesta ver*
Magnificæ mouumenta manus agilesq́ labores
In quibus absumpsi tantum sudoris anheli;
En etiam vana, ac mentem torquentia vidi,
Singula, sub stabili nec quid durabile Cæ

12 *Inde supergressus virtutem edisscere tento,*
Irroremq́, levesq́ animi disquirere motus,
(Namq́ quid inveniet veniet quià Rege secunc
Quod jam compertum est, & pleno traditur or

artis
it
est.
it?
ango r
PVT.

CAPVT. Secundum.

Sapiens vanitatem rerum humanarum docet ab incerto illarum usu, quem se expertum confitetur: itaque ostendit primum vanitatem lætitiæ, quam ex usu vel maximarum commoditatum perceperat; deinde humanæ illius sapientiæ cum stultitia comparatæ: ac postremò imbecillitatem hominis in bono suo fruendo, aut transferendo, quia monia pendent ex œconomia Dei.

1 *DIxi Ego corde meo blandis te (nunc age mundi)*
Delitijs tentabo, Bonis genialibus ergo
Perfruere, hoc etiam vidi levitate refertum:

2 *De tremulo dixi, brevis es dementia, Risu,*
Ac de Lætitiâ, quid quod facis? inconsultà.

3 *Tunc intus statui redolente madere Falerno,*
Amplectens sapientiæ adhuc unaq́ labores,
Stultitiam nec non paulum enutrire putavi,
Donec sentirem quid primum optabile natis
Semine mortali fuerit, factuq́ necesse,
Per totum vitæ subter sacra sydera cursum.

4 *Magna opera institui, struxiq́ palatiâ celsa,*
Læta coronavi tumidis hinc vitibus arva.

5 *Hortos inde solo posui vegetante salubres;*
Quæq́ redundarunt quo non Pomaria fructu?

6 *Confeci mihi stagna frequens quorũ unda rigare*
Vernicomã sylvam fruticum genus omne ferentẽ.

7 Constit

7 *Constitit ad nutum mihi sexus uterq; ministrans*
Servitioq; patens, adeo vt domus ampla fuisset:
Innumeros ouiumq; greges, Armentaq; multa
Possedi quot nemo sacris priùs extulit oris.

8 *Congessi argentum, rutilumq; insigne aurum,*
Miraq; terrarum, Gazas Regumq; superbas.
Quid referam expertos sexus utriusq; canendi
Delitias q; hominum gaudet quibus undiq; proles;
Organa ceù latis resonantia musica chordis,
Quæcunq; ingenuâ mirè finguntur ab Arte?

9 *Evasi sic magnus, opum mihi tanta fuitq;*
Copia, quanta piam nulli Solymam ante colenti;
Ac mecum ingenij gravitas veneranda remansit.

10 *Præterea cupidis quodcunq; placeret ocellis*
Nequaquam abduxi, cordi neq; defuit ulla
Lætitia, at cunctis concepit gaudia cæptis:
Hanc quoq; mercedem statui conatibus aptam.

11 *Tunc ego conversus simul omnia gesta revisi,*
Magnificæ mouumenta manus agilesq; labores,
In quibus absumpsi tantum sudoris anheli;
En etiam vana, ac mentem torquentia vidi,
Singula, sub stabili nec quid durabile Cælo.

12 *Inde supergressus virtutem edisscere tento,*
Errorem q; leves q; animi disquirere motus,
(Namq; quid inveniet veniet quià Rege secundus,
Quod jam compertum est, & pleno traditur ore?)

13 *Et facilè Sophiam tantò præcedere vidi*
Stultitiam, quantò superat Lux clara tenebras.

14 *Lumina Prudentis capiti non calcibus hærent,*
Stultus at in tenebras vestigia mittit opacas,
Quorum utriq; parem didici contingere finem.

15 *Tunc animo effatus, si sic mihi multa scienti*
Accidat ac fatuo, quid desudasse parando
Profuit ingenij fructu vberiore politi?
Quod cùm ita sit, vanum hoc & præter cætera duxi.

16 *Postera non etenim memorabunt sæcula nomen*
Consulti, potius quam stulti; at singula longi
Temporis involvet Lethæo gurgite moles:
Succumbunt pariliq; modo doctusque rudisque.

17 *Pertæsum est ideo vitæ cùm tanta viderem*
Totque sub ingenti rerum dispendia Sole,
Cuncta fluunt etenim, mentemque doloribus urunt.

18 † *Vel summæ peperere mihi fastidia curæ,*
Queis animo indulsi castris terrestribus acri:
Quippe alij tandem morte adveniente relinquam:

19 *Qui sapiens an stultus erit quo judice constat?*
Hic tamen inventis dominabitur undique nostris,
Immenso studio similique decore peractis
Tempore mortalis cursus: Vanum hoc quoque duxi.

20 *Pectoris ergo dedi vacuis conamina ventis,*
Impulsus Genio spem deposuisse laborum.

21 Nam-

21 *Namq; aliquis ſtudio Sophiæ, probitatis, & artis*
Temporis impendit multum, aſt ubi fata vocarint
Dimittit quæſita viro torpore ſoluto:
Hoc levis aura, malum pariter triſti ore canendũ eſt.

22 *Utilitatis enim quid homo ſibi colligit omni*
Ex opera, & cupidis animi luctatibus ægri,
Se quibus abſque morâ vitâ hac ſuperante fatigat?

23 *Namque dies cunctos veſtit caligo dolorum,*
Seriaque inviſis ardent conamina curis,
Nec cor ſollicitum taciturnâ nocte quieſcit:
Annon hoc etiam eſt inter tot millia vanum?

24 *Ergo homini nihil utilius quam more ſalubri*
Quæſitis veſci caliceſque hausire jocoſos.
Ac præſtare animæ de cunctis gaudia captis:
Numen & hac patuit verſari ſorte benignum.

25 *Ecquis lautitijs nobiſque fluentior iſtis,*
Aut ſtimulos vario rerum magis addat amori?

26 *Nam datur a celſo mundi Rectore probato,*
Dilectoque ſibi Doctrina, Scientia, Candor.
At ſcelere implicito cruciatus redditur ingens,
Terrificas ut quærat opes, & congerat aurum,
Tradat & invitus demum ſacra pacta tenenti:
Umbra quoq; hæc levis eſt, mentiſq; ſuperfluus angor.

CAPVT. Tertium.

Schelomo ex temporis conversionibus confirmans rerum omnium instabilitatem, profectam ex sapientissima Dei administratione hominis occupantis & ad reverentiam sui revocantis docet, id ipsum ab exteris exemplis eorum qui inhumanè opprimunt & qui opprimuntur: & disceptationes quas sensus carnis dictare solet homini graphicè exprimit.

1 OMnibus apta cadunt sub aprico tempora Phœbo.
Propositis; spatijsq; suis quæcunque feruntur.

2 Tempus in hunc orbem prodire; recedere tempus:
Tempus plantandi: Tempusque evellere plantas.

3 Tempus cædendi: Tempus pariterq; medendi:
Tempus humo æquandi; Tempusq; educere tecta.

4 Tempus dissolvi in lachrymas; Tempusq; jocari:
Tempus lugendi: Tempus choreasq; sequendi.

5 Tempus spargendi lapides, Tempusq; trahendi:
Tempus in amplexus ire: ac discedere Tempus.

6 Tempus lucrandi, Tempus quoq; damna ferendi:
Tempus custodire, suumq; remittere Tempus.

7 Tempus consuere; In partes quoq; scindere tempus:
Tempus rumpendi in voces Tempusq; tacendi.

8 Tempus amore capi Tempusq; odisse priora:
Tempus atrox Belli: Tempus placidæque quietis,

9 Quem

9 Quem fructum decerpit homo dum conterit artus
Nixibus immodicis, cunctorum in fine laborum?

10 Vidi operam, Humanæ Soboli quã maximus or-
Apposuit Dominus, cui multo insisteret æstu. (bis

11 Tempore cuncta suo fecit pulcherrima, mundum
Condidit atque virum doctis rationibus aptum:
Ne tamen exploret quisquam ratione profundas
Actorum series, ad finem ab origine rerum.

12 Hinc cognovi Homini melius nihil Axe sub alto,
Quam gaudere, bonis vitâque opulescere factis.
(atur

13 Quodq; aliquis comedatq; bibatq; & melle fru-
Sero operum: Summi hoc concessum est munere nobis.

14 Omnia perspexi, Dominus quæ fecit in omne
Duratura ævum: nequis superaddat ijsdem,
Detrahat aut quicquam, voluit sic providus Autor
Naturæ, ut tremeret coram se quilibet ordo.

15 Quod fuit est, id erit quod & ante fuisse videmus
Principijsq; novis instaurat perdita Numen.

16 † Nequitiam interea vidi sub sole cruentam
Indicij injusto retinentem jure Tribunal.
Justitiæq; scelus veneranda in sede locatum.

17 Dixi animo; Deus innocuos, unaq; nocivos
Sistet in occursu Solij trepidante superni:
Propositis etenim factisque stat omnibus Hora.

18 *Expendi mecum tum Humano semine natos,*
Quos Deus expertes mortali face creavit,
Sunt pecudum similes tamen, & sors una duobus
Actidit in terris, immò sors accidit una.

19 *Nam succumbit homo parili quo Bestia more,*
Atq́, eadem vitalis ineſt his omnibus aura;
Talibus excedit nec homo jumenta futuris:
Singula nimirum subeunt mortalia casum.

20 *Ad sedem properant post mortem qualibet unã*
Et confícta luto, ad luteam redeunt q́, Parentem.

21 *Quem docuit natura, hominis nũ ascendat in altũ*
Spiritus, an pecudis rursus descendat in imum?

22 *Hoc nihil experier potiori jure beatum,*
Quam lætari hominem proprio molimine, partẽ hanc
Et reputare suam: Quis enim revocabit humatum
Ad succedentum spectacula sera Nepotum.

CAPVT.

CAPVT. Quartum.

Salomo rerum omnium instabilitatem vanitatemque confirmat ab exemplis pigrorum, avarorum, & regum in sua imprudentia obfirmatorum, denique regnorum omnium.

1 SIc ad res alias me verti, & quanta deinde
Versetur sub Sole calumnia circumspexi.
En oculis inopum Lachrimas vi ac fraude coactas
Præsentemq; malis nullum solatia rebus;
Suppetias nullum tam indignâ sorte ferentem,
Quum tamen occurrant permulti ex parte potentûm.

2 Hos magis ergo cavis qui jam latuere sepulchris,
Laudavi, quam quos permittunt vivere fata:

3 Communi tamen auspicio superavit utrumq;,
Qui nondum gravidâ gemibundus prodiit alvo,
Nec mala conspexit curvatas agitantia terras.

4 Tùm contemplabar simul omnia gesta virorum
Quælibet & rectis induta negotia formis,
Unguibus invidiæ sensi lacerarier atris
Vicinæ: Levitas, animiq; molestia & hoc est.

5 Implicat insipiens solito torpore lacertos,
Vescitur atq; suis jejuno carnibus ore.

6 *Solus (ait) ſatior requie comitante maniplis,*
Vtraq; delitijs quàm palma referta caducis,
Non ſine ſudore ac cruciatu mentis acerbo.

7 *Spectanti nova & occurrit ſub Nubibus umbra.*

8 *Alter adeſt, nec habet poſt triſtia fata ſecundũ,*
Sive ſuo natum ſeu junctum ſanguine fratrem:
Nulla tamen duris ſit meta laboribus, orba
Lumine cæleſti ſatiant neq; lumina nummi.
Neve ait, hæc cujus ſubeo mala tædia cauſsà;
Atq; bonis animam fraudo præſentibus? ecce
Hæc quoq; res vana eſt mentiſq; graviſſima peſtis.

9 *Ac ſimul eſſe duos, quam per ſe præſtat agentẽ,*
Vberiore etenim gaudent mercede ſodales.

10 *Si modo decideritque alius, tamen erigit artus*
Auxiliante alio: væ ſoli, ſi modò lapſum
Experiatur, habet nullum quiàſuccurrentem.

11 *Nocte cubile duos ſi conſociaverit unum,*
Accipiunt pariter ſpirantia membra calorem,
Sed quis deſerto vitabit frigora lecto?

12 *Solus & inſurgens breviter dabit arma duobus:*
Nec leve fit triplicis diſrumpere ſtamina funis.

13 *Rebus egens melior puer ingenioſus opimis,*
Quam Rex inſipiens contractus tempora rugis,
Qui neſcit monitis præbere ſalubribus aurem.

14 *Nam-*

14 *Namq; alius quandoq́; solutus carcere Regnum*
Occupat, atque alium Nativo jure tenentem
Sceptra per extremos cogit fortuna recessus.

15 *Quoslibet aspexi vitali Luce fruentes,*
Bisque novâ subeunte vices cum prole parentũ:

16 *En populi numerus penè innumerabilis omnis,*
Præsentem antiquis & qui præcesserat annis.
Sed neque venturus gaudebit, Lite remotâ
Conditione suâ: Certè hoc quoque torpor inanis,
Morbus & humanam torquens vertigine mentẽ.

CAPVT. Quintum.

Schelomorationem docet qua homines sibi à superiorum vanitatum studijs cavere possint, nimirum reverentia Dei, sanctisque cogitationibus de providentia & administratione ejus: deinde vanitatem explicat, quæ possessioni fructuum terræ inest; usumque a natura nobis attributum.

1 *OMnia tum vigili vestigia pone decore,*
Regis ut Æthereï sacras intraveris (Ædes:
Et magis obsequium studeas præstare docenti,
Quàm libare manu stultorum thura rebelli,
Qui sua non curant ad normam facta quadrare.

2 *Ne temerè coram Domino tua labra resolve,*
Nec permitte animum festina profundere verba.
Ipse etenim Cœlos habitat, tu castra lutosa.
Ergo modum ponat cunctis Reverentia dictis.

3 *Devia multiplicescomitantur Somnia curas:*
Sic stolidus nimiâ dig noscitur ipse loquelâ.

4 *Si quid voviſti Domino, persolvere nullas*
Quære moras, quia cæca Deo fragilisque voluntas
Displicet, ergo animo promissum redde volenti.

5 *Est equidem melius nullo te obstringere voto,*
Pacta simul quàm non ad sacra adducere facta.

6 *Non laqueus carnis sit inepta licentia lingua*
Nec repetas Domini sacro retegente Ministro,
Erroris latebras; quid enim tam futilis esses,
Ut Deus exitio manuum daret acta tuarum?

7 *Nam totidē prope sunt insomnia, somnia quot sunt,*
Permultis nec abest levitas temeraria verbis;
Tu verò Superos cultu reverere modesto.

8 † *Si videas inopes diris cruciatibus angi,*
Et Ius, ac Leges violento more rescindi
In populo, super hoc mirari desine monstro:
Nam qui sublimi multò est Sublimior omni
Rem videt, excelsis magis excelsiq; feruntur.

9 † *Proventus terræ cunctorum servit in usus,*
Nutritur rigidorum operâ Rex ipse colonûm.

10 Nec

10 *Nec sitis argenti argento satiatur adepto,*
Fœcundo nec amor variarum fœnore rerum:
Quare hoc, si aspicias, est inter cætera vanum.

11 *Si modò Divitiæ crescant, accrescit eorum*
Qui comedunt numerus: quid Possessoribus ergo
Vtile succedit, nisi lumina pascere visis?

12 *Dulcis adest somnus contrito membra labore,*
Sive epulis parcis sive excipiatur opimis:
Sed non permittit locupletem opulentia rerum
Carpere tranquillà securam nocte quietem.

13 *Insuper atq; alia est, quàm subter sidera vidi,*
Pessima pestis; Opes scelerati nempe repostæ
In domini exitium, vindictæ tela fovent is.

14 *Namque perit miserè congestum turpiter aurũ,*
Et Natum genuit, quem summa penuria tanget.
15 *Nudus ut ex vtero matris processit, in arctũ*
Sic uterum terræ nudatus inersque redibit.

16 *Imò hoc triste malũ est forma ut quâ inviserit or-*
Desereret q; pari: quo tandẽ fœnore durũ (*lem,*
Cessit ei studium, fluidas qui messuit auras?

17 *Vicitat in tenebris spatium miser omne dierum,*
Plenus & ærumnis irâq; recedit ad umbras.

18 † *Ecce quid aspexi; Bellum est vereq; decorum,*
De fructu manuum solatia reddere ventri,
Lætitiâq; frui gravium mercede laborum,
Quos toleravit homo momenta per omnia vitæ,

Concedente Deo superis sub sedibus acte
Illius atq; hac est pars optatissima rerum.

19 *Preterea, cuicunque Deus commisit habendas*
Divitias, Census varij quoque credidit usum,
Vt possit vescique datis, sortisque potiri
Jure sua, atque operum reditu gaudere beato,
Hoc inquam Excelsi sanctis peramabile donum est.

20 *Tempora sollicitum facient neque pristina talem,*
Delitias voto Numen quia reddidit aquas.

CAPVT. Sextum.

Salomo vanitatem istorum bonorum demonstrat tum ex eo q od huc illuc commeant; tum etiam quod neque dominum suum, neq; se a vanitate vindicant; denique nihilo faciunt meliorem quemquam.

1 *DIdi aliud sub Sole malũ commune per orbem.*

2 *Nempe virum, cui divitias, opulentiã, honores*
Extulit Omnipotens; adeo ut non ulla petenti
Gaudia deficerent animæ, quæcunque juvarent:
Nec tamen accessit capiendi alimenta potestas,
Divinæ molimen opis: sed possidet ipse

Q quicquid

Quicquid, ad extremum peregrino absumitur ore;
Hos levitas, subeunsq; malus mala pectora morbus.

3 Centuplicem si quis sobolem generaverit, annos
Vixerit & multos, seram attigeritq; senectam,
Non tamen extinguatur opum male sana cupido;
Nec solito ad tumulum corpus referatur honore,
Hoc immaturus melior (mihi credite) partus.

4 Huc accessit enim frustra, obscurusq; recessit;
Et teget invisum tenebris oblivio nomen.

5 Lumina prætereà Solis non sensit amæna,
Illiciti à licito minùs & discrimina novit,
Ad requiem hic properat, longos trahit ille dolores.

6. Immo licet terris bis mille peregerit annos,
Nulq; boni spatio per tot labente potitus,
Non omnes coeunt in eandem deniq; metam?

7 Pertinet inprimis pastum labor omnis ad alui,
Restat inexpletus mentis tamen ardor avaræ.

8 Sortis enim prudens quo munere vincit inertem,
Utile vel quid habet pauper, nisi vivere rectè?

9 Cernere quod cupias præstat, quã rebus adempti
In species animi phantasmata solvere nudas:
Hoc sed & umbra fugax, avidique molestia sensus.

10 Notescit titulo jam quis fuit, estque futurus,
Nempe Homo terrenus fragilis, nec adarma vocatus
Cum potiore potest rerum certare Parente.

11 *Plurima (si inspicimus) liceat conjungere vanis*
Quæ tractans non transit homo felicius ævum.

12 *Quis cognovit enim sibi conducibile quid sit*
In vita hac, cunctis simul appositisq; diebus
Ceu volucri, jubare extincto, fugientibus umbra?
Aut quis ei referet, sua quæ post tempora fient,
Cælũ infra in tacito jaceant ubi membra Sepulchro?

CAPVT. Septimum.

Sheloino bonis præsentibus famam famæ mortalem anteponit: itaque homines ad sapientiam reverentiam, & obsequium Dei per abnegationem sui, & ad charitatem hortatur, opinionem suæ sapientiæ damat, & infinitam esse hominis malitiam, maxime vero mulieris scelestæ ostendit.

1 *NOn tantum unguenti pretium vincentis odore,*
Gloria quanta boni, quæ sæcula, Nominis, implet,
Atq; minore dies Ortus celebranda triumpho,
Quàm majore dies mortis renovanda nitore.

2 † *Tecta subire pio melius resonantia luctu,*
Quàm quibus immodico celebrant Convivia luxu;
Illo etenim cunctarum agitur pars ultima rerum,
Hoc sui sano constat morientis imago.

3 *Gaudia triſtitiæ cedant, riſuſq; dolori,*
Frontis enim aſperitas removet contagia ſenſus.

4 *Cor ibi prudentum, Gravitas ubi ſtricta locatur;*
Cor ibi ſtultorum eſt, Levitas ubi fluxa moratur.

5 *Tutius eſt placidè increpitantem audire peritũ,*
Quàm ſtolidum blandis intendere cantibus aurem.

6 *Qualis enim ſtrepitus ſpinàrum ardente ſub olla,*
Talis & inſulſi riſus: vanum hoc quoq; dicas.

7 † *Pauci adeo fortes, ut non injuria turbet;*
Multi adeo fragiles, ut ſplendida munera vincant.

8 *Eſt bonus in fructu, quàm flore, notatior actus,*
Præcellitq; humilis generoſo corde ſuperbum.

9 *Mentis ad inſanam ne te ferat impetus iram,*
Quòd furor atroci vivit ſub pectore ſtulti.

10 *Priſtina quid cauſa eſt cur his meliora fuere*
Tempora ne rogites? namq; hoc ſine labe profari
Non potes, imfirmo luſtrans præſentia captu.

11 † *Eſt bona cum fundo Sapientia divite gemma,*
Sed viget in cunctis æquè ſpectantibus aſtra.

12 *Murus enim Sophia his illiſque pecunia murus:*
Hòc virtute tamen comitata ſcientia præſtat,
Quod vitâ meliore beat poſt fata tenentes.

13 *Rectè opera expendens rerum miranda parentis*
Ipſe qnod inflexit nulli reparabile cernes.

14 *Tempora cùm sint læta, bonis lætare receptis,*
Tempora cùm sint mæsta, malos benè suspice casus
Nam deus opposuit sapiens adversa secundis,
Nullus ut inveniat justam in sua jura querelam.

15 *Omnia conspexi brevium statione dierum:*
Qui perit indignè est constans Pietatis alumnus:

Quique etiam multos ducit feliciter annos,
Improbus est, putrida vitiorum sorde volutans.

16 *Te monstrare pium magis ad spectacula noli,*
Aut sapere humanis quàm convenit altiùs aliis,
Cur stupefactus enim propria ambitione jaceres?

17 *Ne tibi laxatis vitium dominetur habenis,*
Neve sinas animo stolidos imponere motus;
Nam cur te raperet mors intempesta cadentem?

18 *Observare decet præcepta fideliter ista,*
Pectore nec reliquis propriam deponere curam,
Quippe Dei officio servus non deficit ulli.

19 *Fortior ingenuè sapientia munit honestum,*
Quam bis quinque feris prælatos viribus urbi.

20 *Nemo adeo in terris peccati sordibus expers,*
Qui bona criminibus nullis immista peregit.

21 *Cuncta tibi cavens referenti attendere famæ,*
Ne fortè audires simulato crimine læsum
Tartareis famulum te sic proscindere Diris:

22 *Inde morâ positâ, stabilè, neque fronte valeres*
Inculpare, tibi fueris quiàconscius ipse,

Te dictis alios pariter laceraſſe malignis.

23 † *Omnia tentavi Doctrinâ ſcire magiſtrâ:*
Quòque magis ſtatui penitùs ſapuiſſe, labori
Hòc magis optatum video diſtare triumphum.

24 *Nam quod debilibus longè removetur ocellis,*
Quis valet illius faſtigia ſcandere ſenſus?

25 *Quærere, rimari, diſquirere ſingula nullo*
Tempore deſiſti, donec ſpectare liceret,
In quibus inſignis vigeat ſapientia rebus,
Et Ratio humanas qualis quæ perficit artes;
Nec non ſtultitiæ varias dignoſcere formas;
Mentis & errores furijs popularibus actæ.

26 *Denique morte mihi reperitur acerbior ipſa,*
Fœmina, cor laquei cujus, tetricæq; ſagenæ,
Atque manus ſtultos ceu ferrea vincla ligantes:
Qui placitum Domino munus præſtabit honoris,
Longiùs hac aberit; ſed qui ſe crimine ſtringit,
Turpe jugo collum flectet captivus acerbo.

27 *Ecce hoc (concionator ait) ſũ expertus, in omnes*
Procedens numeros ſolerti indagine rerum,
Votorum liceat ſi ſic contingere ſummam.

28 *Quam verſatus adhùc tenebris fervore requiro*
Multo animæ, Tabulæ ſed non complectitur ordo;
Inter mille virum proſpexi ad vota quadrantem,
Non talem ex cunctis reperi mulieribus vnam.

29 *Hoc ſolum reperi, verâ probitate vigentem*
Effeciſſe Hominem, te magni Conditor orbis;

Epſe

Ipse autem lapsus plures peperitq; nocivos,
Qui multas aperire vias ad limina mortis.

CAPVT. Octavum.

Schelomo exposito popularium in magistratus officio, civilis administrationis vanitatem ostendit ex abusu tyrannico administratum; quibus mortem & judicium, bonis verò liberationem & præmium denunciat: postremo sententiam carnis cum divino testimonio comparat.

1  *Btinet æqualem quis cũ sapiente saporẽ,*
Sive potest nodos aperire Ænigmatis (arctos?
Induit humano radios Sapientia fronti,
Egregiumq; novâ collustrat imagine vultum.

2 *Regis ut observes jubeo mandata libenter,*
Vel quòd in hoc juravisse Dei per numina spectat.

3 *Nevè suo properes a fronte recedere præcox,*
Nec malè susceptam pergas defendere causam.
Ipse etenim, quæcunq; libet facit omnia terris.

4 *Regis adest verbi comes indubitata potestas,*
Quidvè agis, in Populo referat sine crimine Nemo.

5 *Qui sua præcepti vestigia continet orâ,*
Is mala stultivagæ non sentiet ullæ catervæ,
Judicat & rerum sapiens cum tempore causas.

6 † *Prope-*

6 † *Proposito quoniam tempusq; modusq; cuiq; est,*
Conditio ergo homini gravior sibi dura videtur.

7 *Dum rudis ignoret quæ præteriere, nec ullo*
Venturos authore potest prævertere casus.

8 *Deserit invitum corpus, quo clauditur, umbra:*
Nec rapidâ mortis mortalis quid valet horâ,
Arma nec incepto liceat deponere Bello,
Nec pœnâ impietas solvet, quos fraude ligavit.

9 *Cuncta ego spectavi satis hæc, aciemq; retorsi*
Mentis in omnigenas operum sub sole figuras.
Est, quo homini dominatur homo damna in sua tempus.

10 *Rursus iniquorum tumulo data corpora vidi,*
Qui loca, dum traherent auras, Sacrata petebant,
Atque reverterunt multùm plaudente tumultu,
Mansit in urbe tamen nomen breve: sic quoq; va-
(num hoc.

11 *Contra malos quia non Sententia protinus exit*
Vindictâque scelus premitur, scelus ergo patrandi
Crescit in humano tetcrrima corde libido.

12 † *Hinc modò quod vicibus centũ repetiverit actor*
Nequitiam, tuleritq; diu patientia sontem:
Certa fides restat mihi, nulla timentibus ipsum,
Velle negare Deum vitæ incrementa beatæ,
Qui faciem illius, quo spectat honore, verentur.

13 *Non ita at infractæ mentis succedet iniquis,*
Neve dies referent perfectæ ætatis honores;
Sed vere instabili fugient velociùs umbrâ:
Vivificum

Vivificum Domini quia deposuere timorem.

14 Fit quoq; terrarum per Regna notabile vanum
Dũ liquet esse probos quibus evenit, improba tanqu
Fecissent prævorum opera; Injustosq; vicissim,
Accidit esse quibus, tanquam perfecta bonorum
Munera complessent: Quare hoc & inane vocavi,

15 Lætitiam primis cecini tunc laudibus almam,
Quòd nihil illustri melius sub Lampade mundi
Humano generi, fluidum potuq; ciboq;
Quàm corpus nutrire, piâq; hilarescere mente,
Palma laboris enim est, statio & placidissima vitæ
Quos dedit Omnipotens cursu sub sole dierum.

16 Querenda ad Sophiæ demũ secreta profunda
Conversi studium, scrutandaq; semina rerum
Factarum in terris (Namq; est quem nocte dieq;
Non sinit iste labor placidæ indulgere quieti)

17 Atq; opus aspicieus totum mirabile summi
Artificis, certam didici non posse parari
Notitiam illorum, quæ sunt confinia terris:
Quæ licèt admiratur homo specularier, ipse
Immo licèt sapiens comprendere cogitet arte,
Non tamen inveniat quæsitæ limina portæ.

Capvt

Capvt. Nonum.

Salomo observationem administrationis Dei docet humanas mentes superare: carnales de ea cogitationes explicat, quæ hominibus spiritus Dei luce carentibus obversantur; quod eventa omnia personarum, conatuum, & consiliorum impiè fortunæ tribuant, & ad sceleratam suam abutantur illa cogitatione.

Omnia versavi hæc animo; & pro parte virili
Tradere perpetuæ contendi singula famæ,
Et qui judicio clarent, doctisq; Camœnis.
Atq; opera ipsorum, sunt undique subdita magno
Numinis imperio: Ne quisquam possit eorum
Conditione homines quibus hic superantve, carentve,
Cernere, quos odio, quos excipit Altus amore.

Eveniunt simili nunc omnibus omnia more:
Fortunæque eadem facies scelerique pioque,
Et bello atque malo, mundo immundoque, litanti
Sacra, litare etiam scelerata mente neganti:
Qualis & innocuus præsentis imagine vitæ,
Impius & talis: qualis perjurus aperta
In specie, trepidat & qui perjuria talis.

Cuncta malum super hoc terrena videtur, eundem
Omnibus esse modum læti mœstique ferendi;
Unde cor infestum est humano semine natis,

Occupat

Occupat & mentes vesania, donec inepto
Corpore deliteant; & post rapiuntur ad umbras.

4 † *Dum quisque in medio versatur, amore fruendi*
Spes (Epicure) manet, post mortem nulla voluptas.
Vividus exanimi præstat canis ergò Leoni.

5 *Non latet hoc etenim vivos, aliquandò supremũ*
Acturos se ex more diem: nil prorsus at illi
Noverunt, qui jam Fatali lege tenentur:
Nec vitam hanc ultra gaudent mercede potitâ
Tempore, mortalem radunt quia sæcula famam.

6 *Nunc amor atq; odium pariter periere, furensq;*
Invidia, ulterius nec habent commercia gestis
Cum Rebus, nitidos quà Sol jacit aureus ignes.

8 † *Vade igitur lætus, festivaq; fercula carpe,*
Nobilis atq; alacri calices trahe mente Lyæi,

9 *Candida perpetuo sint vestimenta decori,*
Nec desiste caput redolente perungere Olivo;
Maxima quippe tuis favet indulgentia factis.

10 *Ducito dilectà lepidam cum conjuge vitam,*
Omnibus instabili currentibus orbe diebus.
Quos tibi concessit sub sole suprema Potestas,
Quolibet incerti spatio modo temporis acti:
Hæc etenim pars est vitâ genialis in istâ,
Hæc operum merces, quibus Arce gravare subalta

11 *Perficiat quodcunq; manus tua, perfice nixu*

Indomiti

domito; Quoniam nec opus, nec practica virtus,
Nec grave consilium, nec acuta Scientia restat
Tumulo, quò tu properas ab origine motus.

† Ad nova me vertens sub sole Objecta, videbã,
n semper cursu celeres excellere, bello
cere Pugnaces, Alimenta sagacibus esse,
ivitias doctis, præstantibus arte favorem;
mpore sed cuncti, casuque feruntur in ista.

3 Nescit homo certi incertissima classica Lethi,
d veluti pisces hamo cap untur operto,
laqueo falluntur Aves: ita temporis ictu
rripitur miseri Soboles humana cruento,
um subitò instarit minimæ meditatus adultæ.

4 † Hæc etiam sub sole mihi sapientia visa est,
Et repeti dignam magnà cum laude putavi)

5 Vrbs contracta suos spati brevio e penates,
Ac paucis habitata viris: Quam milite multo
vasit Rex magnus, eam cinxitq́ feroci
bsidione, altos posuitq́ in mænia vallos:

(lonus
6 Quũ jam inventus ibi est pauperq; sciensq́ co-
Qui miseram ingenio solvit terroribus urbem,
Hoste tamen pulso, nullo fit pauper in usu.

7 Viribus ingenium præstantius ergo ferebam,
Non habet intereà solertia pondus Egeni,
Clauditur & nudis pulsanti janua verbis.

Verba

18 *Verba movent docti citiùs taciturna movendos,*
Quàm turbam insanam clamores principis alti.

19 *Ampliùs instrumenta potest quàm bellica virtus,*
Plurima flagitium præclara sed obruit unam.

CAPVT. Decimum.

Schelomo formam docet modestiæ erga potentiores, illius utilitatem explicat: administrationis bonæ & malæ eventa prædicat: postremo subdito, ad sancte cogitandum de potentioribus hortatur.

1 *VNguentum ex dulci fœtens ut fœtere reddunt*
Sugentes mortem, inficiunt que putredine Muscæ;
Ejus & in maculam sic transit ineptia grandem
Parva, cui ingenium concessaque gloria laudi est.

2 *Cor habet in Dextrâ sapiens sibi ad omnia prompti*
Insipiens verò, quasi sit sine mente sinistra

3 *Incèdenti etiam stoliâo cor deficit vltrò,*
Omnibus atque aliquo signo se præbet ineptum.

4 *Spiritus illius si inte ferveſceret irâ,*
Quem penes imperium est, solitam ne desere sedem,
Namque graves redimit veniæ submittere culpas.

5 *Conspexi sub sole malum, quasi principis acti*
Fronte per errorem ducens primordia leni:

6 *Inge-*

6 *Ingenij ſublimi inopes in ſede locatos,*
Dotibus ornatoſque animi tellure ſedentes.

7 *Vidi etiam ſervos in equorum terga receptos,*
Et Satrapas terram ſervili more prementes.

8 *Qui puteum fodit hic propriæ facit arma ruinæ,*
Diſſipat & ſepem, mordebitur ipſe Colubro.

9 *Suſtinet is lapidum, quì ſternit, ab aggere vulnus*
Atq; ſecuri aliquid ferit, haud ſecurus in illo eſt.

10 *Si fuerit ferrum trunco obſiſtente retuſum,*
Nec penetrarit hebes, nec acutum redderit actor,
Multa opera, & duplici nitendum eſt robore, donec
Maſcula inexpertas æquet ſapientia vires.

11 *Incantata tibi ſi infigat vipera dentes,*
Quid mirum? nec enim voluit meliora Bilinguis.

12 *Candor ineſt ori Sapientis, & apta venuſtas,*
Sed ſtolidum emittunt prolem ſua labra vorantem.

13 *Limine verborum prorumpit ineptia primo,*
Sævaque præcipites claudit dementia voces.

14 *Nec diverſa minùs quàm averſa eſt fabula ſtulti*
Conjiciens quid erit faciendum tempore, nemo
Quum ferat eventus præſagia ſana futuri.

15 *Torqueat ut fatuum magnorũ cura neceſſe eſt,*
Qui pede civili contendere neſcit in urbem.

16 †*Væ tibi Terra, puer Rex cujus acumine mentis,*
Et Proceres dapibus accumbunt mane profuſis.

17 *O felix Regio claro quum stirpmate princeps*
Nobilium par est atavum virtutibus hæres;

Quum tempestivè proceres vescuntur, alendis
Ad vires, non ad luxum, stimulosq; ciendos,

18 † *Pigritia domini nutant laquearia tecti,*
Culmen & ignavâ perstillat inane Chiragrâ.

19 † *Pinguia latisonos acuunt convivia risus,*
Diluit & vinum curas, frontemq; serenat,
Artibus innumeris solus facit omnia Nummus.

20 † *Pectore ne injicias imo convicia Regi,*
Neve tuo conclavi opibus maledicta fluenti:
Namq; ferent volucres cali miro omine vocem,
Murmur & Aligero recitabitur indice rancus.

CAPVT. Vndecimum.

Schelomo hominem ad beneficentiam fidemque in promissiones Dei hortatur; asserit infinitam administrationem ejus: cui obsecundare oporteat: postremò negligentes ad cogitationem mortis, vanitatemque præsentis revocat.

1 *Mitte super fluidas panem (ut res suppetit) undas,*
Et tibi post aliquot resluet cum fœnore Luces.

2 *Da septem atq; octo, valeas dū ad munera, partem*
Quanta etenim nescis vexabit inedia terram.

3 *Nubi-*

3 *Nubibus exemplum trahe distillantibus illos*
Quos priùs è liquidis hausere paludibus imbres.
Et vita remanente vide ad quem concidit Arbor
Sive plagam Australem, Borealem sivè receſſum,
Ponderibus frænata ſuis, ibi mole jacebit.

4 *Qui dubitat ventos, non credet ſemina terra,*
Atq; timet nubes, falcem non condet Ariſtâ.

5 *Spiritus ut neſcis tenuis qua parte feratur,*
Oſſa vel accipiant vtero prægnante figuram,
Sic opus ad noſtros Summi non percipis uſus,
Omnia qui ſolus proprijs beat incrementis.

6 *Adveniente die ſemen lætæ injice glebæ,*
Nec fugiente pijs ſuccumbat dextera cæptis,
Ignoras quoniam magis hoc oriatur, an illud,
Sivè pari reditu fœcundet utrumq; labores.

7 † *Affluit intactum mira dulcedine Lumen:*
Conſpectuſq; juvat ſenſum ſuper omnia Phœbus.

8 *At multos ſi cuiquam annos dent fata tueri,*
Et totidem Luces totidem quoq; Læta coronent,
Temporis interea tenebras memor eſto ferentis,
Mutantumq; vices longa cum nocte dierum,
Omnia qua eveniunt levitate coacta recedunt.

9 *Lætare ergo toroſæ Adoleſcens flore juventæ,*
Et Pæana canant Salientì lubila cordi,
Te ferat optatas animoſa cupidò ſub umbras,

Quoq; volunt oculi facilè vestigia flectant.
His tamen expletis, Te deniq; Lege perenni
Ad sublime Deum posiţurum disce Tribunal,

Iræ igitur stimulos animo sepone feroces,
Et remove maculas vitiorum a carne pudendas,
Nam benè junguntur Luxusq; Iuventaq; vanis.

CAPVT. Duodecimum.

Sche'omo hominem sibi præsidentem compellans cogitationem Dei, senij, mortisque revocat; & totum opus concludit confirmat one vanitatis rerum istarum omnium atque hortatione ad studia salutaria in reverentia, obsequio, & spe Dei adventuri, humanumque genus judicaturi adventu suo.

VERSVS Secundus IAMBICVS.

1 *VEre Creatoris tenero memor esto dieri*
Repentè dū nec ingruant dies mali,
Nec veniant, quibus exclames nihil
assequor, anni
Placens:

2 *Nec orbe Sol coruscus occidat*
Pristina in æternas non Lux modo transeat umbras
Nec alba Cinthia inter Astra fulgeat;
Immodicas pluvias & nubila plura sequantur.

3 *Diem ante, crebrò qua trement (manus) Lares*
Custodes, validique viri jam crura fatiscant,
Omnis molentium ruetq; Dentium,

Nu

Nunc minùs aptorum, quò sunt numeroq; minores.
Dein per alia qui vident foramina
Cæcutiant Oculi:

4 *Quumq; ostia bella Labella*
Erunt rigente clausa in ore plateâ,
Quum sonus in tenuem fugiat gravis ante molaris:
Cauente primò surget & Senex Ave.
Omnis & amittat nunc organa filia cantus.

5 *Metuq; sternet anxio id quod imminet,*
Quum dubitata viam cinget terrore ruinâ:
Caputq; stabit albus acsi Amygdalus:
Sarcina vel gracilis fiat modo dura Cicada:
Prius cientium & cupido decidat.
Hinc quod Homo fragilis postremas vadit ad ædes,
Vias Lugentium choriq; permeant.

6 *Dum neq; funis adhuc (spinale) argenteus (uber)*
Teratur; aureus nec irruat Calix.
(Velamen cerebri): Iecoris neq; fonte rigente
Lagena (venæ) humum trahendo fracta sit.
Et Rota suma (Caput) quæ plurima volvit, ab alveo
Petita (corde) respuat nutrimina.

7 *Quum cinis in cineres abeat: vitalis & umbra*
Deo revertat, illius manu data.

8 † *Vanarum ó penitus species vanissima rerum*
(Disertus inquit) orbe cuncta inania.

9 *Quo magis & Sophiæ superavit acumine Præco*
Magis popello si instituta tradidit

Incubuitque diu, secretaq; multa recluſit,
Abundiuſque retulit problemata.

10 *Dulcia quæſivit verba, & certiſſima chartis*
Dedit, probata prorſus Axiomata.

11 *Sunt tanquam ſtimuli, clavique tenaciùs acti,*
Virum diſerta verba perſpicacium,
Quæ rata conſilijs primorum ſede Magiſtrum
Ab uno in Acta dantur ore Præſidis.

12 *Deſine ſcrutari (mi Nate) quid amplius iſtis:*
Ferendo plura terminus Libris deeſt:
Et laſſat multum ſtudijs inſiſtere mentem.

13 *Notetur ergo jam omnium Cataſtrophe:*
Mente verere Deum ſtabili, Mandataque ſerva,
In his quid omnis omne debet eminet.

(ra, nullo
14 *Namq; opus omnimodum Dominus feret ad fo-*
Latente dempto, an hoc bonum ſit, an malum.

FINIS Libri ECCLE-
SIASTÆ.

IN

IN LIBRVM CANTICORVM.

CAPVT. Primum.

Ecclesia studio sponsi abrepta amplexum ejus experit, nomen ejus cõmendat, & laudaturam vovet: ab indignitate sua se purgat, & sponsum advocat: quam sponsus edocens ornat factis & promissionibus: itaque gratulantes inter se celebrant alter alterum. & bona, habitationemque communem per communionem spiritus.

Huc super humanas Sapiens scandentia voces
Lenibus aptavit Mystica Sacra modis.

ORis melliflui me petat oscula,
Nam longe superat vina potissima
Quem prabes amor: admota recentibus
Fragrant ubera odoribus.

2 *Effusum ac oleum, sic fluit inclita*
Consurgens celebri nomine gloria:
Mites ergo pio pectore virgines
Affectus tibi consecrant.

3 *Fervoris placido me trahe vinculo,*
Curremus cita vis quà rapit unguinum.

Duxit me sua Rex in penetralia,
Exurget modo gaudium:
Et te lætisonâ voce fatebimur,
Invictæ potiùs tempore gratiæ
Quam vini memores: te colit omnium
Concors turba fidelium.

4 *Infensis nigreo tincta coloribus,*
Formosa interiùs sum tamen undiq́,
(O Natæ Solymæ) castra velut Cedar,
Pelles ut Solomonicæ.

5 *In vultus oculos ne jacite improbos,*
Fusca terribilem quòd cute cernitis:
Quod Sol me radijs expositum suis
Conspexit nimis igneus:
Matris tela meæ sumere filios
Contra me pupugit mens fera, vineæ
Mandatoq́, mihi munere, Palmitis
Neglecta est proprij salus.

6 *O, quem prosequitur spiritus, indica*
Qua pastum repetis valle? recumbere
Umbrâ qua facis Armenta, pependerit
Quum Phœbus medio Poli.
Nam quarè veluti turba vagantium
Gressus de proprio tramite verterem:
Inclinans gregibus te referentium
Primo fronte sodalium.

7 *Si voti rudis es, O mulieribus*
Quæ pulchro reliquis corpore prænites,
Et tractus tenerum per ge frequentibus

Calca-

Calcatos pecudum unguli.
Et juxta tugurium pasce gregalium
Sedes Capreolas:

8 *O mea Gaudia*
Te finxi similem multo Equitatui,
Planstris in Pharaonicis.

9 *Gemmarum inseritur linea faucibus*
Collum condecorant apta monilia:

10 *Ex Auro dabimus nos tibi fimbrias*
Argento variabiles.

11 *Dum Rex accubitu gaudia carperet,*
Spiravit tepidis Nardus odoribus:

12 *Myrrhæ compositus fascis in ordine*
Dilectus mihi sit meus.
Inter bina moras conditus ubera
Nocturnas faciet:

13 *Botrus Amicus est,*
Turgescens fruticis culmine Cyprini
Engaddi mihi vineis,

14 *En formâ egregia es dulcis Amicula,*
En formâ egregiâ es; Lumina Turturum
Splendorem referunt:

15 *Eminet, eminet*
En Dilecte decor tuus,
Ac nobis thalamus flore micantior:

15 *Surgunt tigna domus ordine cedrina,*
De ligna pariter celsa cupressino
Fermantur Laquearia

CAPVT. Secundum.

Sponsus dignitatem suam & sponsæ prædicat: sponsa respondens eum laudat, eique fert accepta omnia bona sua: officia ejus erga se convivio figurat, summumque suum amorem in eum deliquio: deinde sponsi adventum ad se, vocationem suam, & promissiones amplissimas exponit, quæ in Ecclesia percipiuntur Evangelio ideoque de communione ejus gloriatur, & præsentiam expetit usque ad promissionum complementum secundo adventu ejus.

1 *VErna campestris Rosa cum Sharonis,*
Lilium pingens riguosq́, valles:
Lilium spinas velut inter acres,
Sic mea chara est
Filias inter.

2 *Medio profundum*
Arborum qualis nemus implicantum
Malus, & prolis numero est virilis
Talis amicus.
Ejus insedi viridi sub umbrâ.
Mente jucunda repetens amores;
Dulcis experto pluit & palato
Copia fructus.

3 *Me decens ultrò tulit in triclinum,*
Quo loco suaves epulæ parantur,
Clara perfecti mihi & explicavit
Signa favoris.

4 *Floribus me suppositis sovete:*
Dantibus succum relevate pomis:
Quippe languentis nutriunt amoris
Vulnera venæ.

5 Subi-

5 *Subditur fulcrum capiti ſiniſtra,*
Dextra complexus adhibet tenaces.

6 *Filiæ vobis Solymæ perenni*
Impero Lege,
Capreas teſtans, nemorumq; cerves,
Ne quieſcentem Teneram excitetis,
Vlla nec cogat priùs excubare,
Quàm velut ipſa.

7 *Vox Amati altis venit ecce ſaltibus*
Montibus, tranat pedibuſq; colles.

8 *Hinnulo Charis ſimilis leviq; eſt,*
Corpore Damæ,
Ecce ſtat muri ſpatio receptus,
Per leves jactans oculos feneſtras,
Perq; cancellos ſpecioſa præbens
Ora frequentes

9 *Verba Dilectus dedit atq; dixit,*
Surge feſtina mea chara, Pulchra,
Et veni:

10 *Sævis quia nunc receſſit*
Bruma procellis.
Præbuit tellus nova ſerta florum,
Cantibus ſylvæ reſonant volucrum,
Turturis noſtras gemitus per arva
Fertur ad aures.

11 *Protulit Ficus numeroſa dona,*

Vveum vites referunt odorem,
Surge, festina mea chara, Pulchra
Atq; veni to.

12 *Abditis ò quæ scopuli Columba*
Et cavernosis habitas latebris,
Exhibe vultum mihi, Lingua voces
Reddat apertas:

Vox enim dulcis, facies decora est:

13 *Cassibus nobis retinete vulpes,*
Parvulas vulpes; labefacta quorum est
Vinea fraude:
Vitibus turgent quia nunc Racemi.

14 *Mutuo nexu meus est Amicus,*
Summq; Ego illius: capit inter alba
Lilia pastum.

15 *Donec Aurora croceis capillis*
Sparsus aspectu teneatur æther;
Et polo adventu madida recedunt
Luminis umbræ.

Admove gressus iterum Cupite,
Et fugà æquali Capream lacesse;
Hinnulo par sis teneroq; Bether,
Montibus altis.

CAPVT.

Caput. Tertium.

Ecclesia exponit studium suum maximum prehendendi & optinendi sponsi: deinde quia de gloria sponsi confirmata est, ostendit sibi honestius & utilius esse ut hic non detineat sponsum, sed conscendentem in thalamum suum cælestem prosequatur.

1 *Quum nocte lecto incumberem,*
Quem diligit mens expeti,
Quærens nec illum repperi:

2 *Nunc strata surgens deseram,*
Et civitatem cæsibus
Lustrabo notis, singulas
Circumferar per plateas
Mens quæritans quem diligit;
Quæsivi eum, nec repperi.

3 *Inventa sum Custodibus*
Sparsis per urbis ambitum,
Quos alloquebar talibus:
Vidistis illum viscera
Quo tota flagrant:
4 *Transij*
Non multùm abhinc, quin repperi,
Cor quem profundum diligit:
Illum tenebam amplexibus,
Nec tam diu dimitterem,
Quàm ad Matris ædes ducerem,
Genetricis in conclavia.

5 *Adiuro vos ò filiæ*

Solymæ, leves per Capreas,
Cervosque campis accolas,
Ne suscitetis Candidam:

Nec dormientem surgere
Efflagitetis, dum velit.

6 *Quæ est ista, quæ vestigia*
Fert ex Eremi partibus,

Instar columnis fumeis
Myrrham profusam olentibus,
Et thura, nec non pulveres
Quoscunq; pigmentarij?

7 *Salomonis ecce Lectulum,*
Quem vicies tres ambiunt
Viri probato robore,
Fortissimis ex Israel.

8 *Ferrum tenentes singuli,*
Belli periti: cuilibet
Mucrone femori proximo,
Propter timores noctium.

9 *Currum sibi clarissimus*
Rex Israelis condidit,
Lignis rotatum è splendidis
Quæ sylva Libani protulit.

10 *Illi Columnas addidit*
Argenteas, & aureum
Fixit Reclinatorium;
Summumque texit purpurâ;

Quem

Quem charitate machinæ
Constravit intùs vinculo,
Sic Filiarum comprimens
Urbis Sacratæ gratiâ;

11 *Exite castæ virgines*
Sanctæ Sionis Incolæ,
Regem Solomonem cernite
Cinctum Coronâ tempora,

Quâ Mater illum muniit
Grato die Sponsalium;
Et Festa quum solennia
Cordis beavit gaudio.

Caput. Quartum.

Christus Ecclesiæ perfectionem laudat: & amore illius postquam exclamavit, celebrat suavitatem, sermonum, ornamentorum, fidei, officiorum, & fructuum ejus. Quamobrem Ecclesia agnoscens quicquid boni habet, à Christo in se profectum esse, amplius ipsum celebrat, & sibi adesse petit: quod Christus ex parte annuit.

1 *Pulchræ ecce pulchræ es frontis Amicũ-*
Instar Columbæ sunt tibi Lumina (la,
Fulgentibus subter capillis;
Compositis simili decore,
Qualis Caprarum cernitur agmine
Montis vagantum per juga Gilead.

2 *Dentes, velut Tonsarum ab undis*
Grex rediens genialis, albent,

Quarum lavato vellere quælibet
Tendit gemellis æmula fœtibus,
Nec ulla plenæ pars cohortis
Degeneri sterilescit alvo,

3 Vitta labellis est quasi coccineæ
Tinctura; verbis mellea suavitas:
Ceu punici stant crusta malis
Tempora sub nitidis capillis.

4 Cervix ad instar turris eburneæ
Davidis usu nobilis eminet,
Fastigio cujus nitente
Præsidij locus explicatur,
Quo mille pendent scuta, prioribus
Sæclis virorum hæc Arma potentium.

5 Binæ Mamillæ pratumescunt
Hinnuleis similes gemellis,

Qui læta carpunt pabula, candidis
Per prata passim splendida Lilijs.

6 Donec revisat Phœbus orbem,
Et piceæ moveantur umbræ:

Stat cliva myrrhæ montis ad ardua
Collemque pinguem Thure recedere.

7 Omnis tui pars Chara splendet,
Nec maculâ violaris ulla.

8 † Mecum venito de Libano, mea
Mecum venito sponsa Arabum jugis.

De monte Amana flecte vultum
Verticibus Sanir, Hermoniq́:
Antris Leonum aversa ferocium,
Saviq́ degunt Pardi ubi, montibus:

9 *Cordi meo vulnus dedisti*
Uno oculo soror, atq́ Conjux,
Corde dedisti vulnus amantium
Cervicis uno torque refulgido.

10 *Mammis tuis Germana Consors*
Quam niveus color expeditur?
Quanto levamen mollia porrigunt
Vino fragranti gratius ubera,
Ac unguinum praestans tuorum
Nidor Aromata cuncta vincit.

11 *Stillant favorum Labra simillima*
Opsonsa, Lingua mellaq́ subjacent
Et lac, simul fragrantq́ vestes
In Libano velut aura suavi.

12 *Conclusus Hortus, Ductus aquae sacer,*
Signatus & Fons est Soror addita.

13 *Stat Punicis fecunda malis*
Te Agricolâ Paradisus aucta,
Gratis abundans undiq́ fructibus,
Ceu Camphorâ, Nardo quoq́ divite.

14 *Nardo, levanti cor croceq́,*
Fistulâ, ad haec Cinamono odoro;
Quâ cuncta florent Ligna per optimas

Digesta

Digesta Terras, sive Aloe madent,
Seù Thure, Myrrhà sive pingui,
Sive altis celebrata succis.

15 *Hortos origo fluctibus alluens,*
Felix aquarum vena perennium,
Quæ concitatâ mole plenis
De Libano saliunt fluentis.

16 *Exurge pennis ò Aquilo feris,*
Auster venito de tepido sinu,
Hortum meum perfla, hinc abundè,
Vt nitidi scateant Liquores.

CAPVT. Quintum.

Ecclesia, Christi à se discessum sui peccatis acceptum ferens, offensionem suam narrat & pœnas meritas: opem piorum implorat ad studium suum erga ipsum communi opera exponendum: ipsum describit & locum quò recepit se, ac ipsam in fide confirmat.

1 *DIlectus Hortum nunc revertat in suũ,*
Vt redditis vescatur inde fructibus:
Veni in frutetum Sponsa ò et Soror meũ,
Myrrham Sabæis messui cũ odoribus:
Edi favum cum melle, Limpidum bibi
Cum lacte vinum: vos Amici sumite
Lautas dapes, hauritè læta pocula
Charissimi vos, ac inebriamini.

2 *Somnus*

Somnus repressit membra, sed cor excubat,
ox est Amici nota pulsantis fores;
Expande limen, mihi soror, Tranquillitas
Affectuum, mollis Columba, Sordium
xpers, profuso rore quòd madet Caput.
t per capillos noctium guttæ fluunt.

Tunicam exui, me rursus àn hac induam,
avi pedes, fædare nùm quid excitet?

† Dextram mei pars per foramen ostij
mmisit, ad tactum illiusq; viscera
altare.

Surrexi dare hospitium spei
utritio, myrrham manusq; fervida
udare, myrrham digiti & electissimam
actas aheneæ super claves seræ.

Valvas aperui pectoris solatio,
bduxerat sed gressum, & hinc recesserat:
t est profatus, mens labavit impetu:
ris euntis institi vestigijs,
ec consequuta; voce nomen intuli,
ec invocati vox revertit auribus.

Me sic vagantem repperire milites,
ui nocte perscrutantar urbis ambitum,
verberare, & vulnerare; Pallium
Mihi abstulerunt qui tuentur mænia.

8 Soly-

8 *Solymæ ſacras vobis per oras Editæ*
Solenne votum mando; ſi chariſſimum
Inveneritis, ut feratis nuncium,
Languere amoris me potenti vulnere:

9 *Quali figurâ cæteris Amor tuus*
Prælucet ò pulcherrima inter fœminas,
Quali figurâ cæteris Amor tuus
Inſignior, nobis ut iſtud imperas?

10 *Candore vultus & rubore ſpargitur*
Pari Fidelis, è decem ille millibus
Lectiſſimus.

11 *Puriſſimum fulget velut*
Aurum, vibratis crinibus ſeptum caput,
Corvíq; nigrum tegmen exprimentibus.

12 *Splendoris oculi non minoris ignibus*
Aptè locati, quàm Columbarum micant;
Ripis fluenti dum capacis imminent,
Candente tanquam lacte plumas dilutæ.

13 *Non impares pulvinulis Aromatum*
Textæ decoris floribus vigent genæ,
Quas ſplendidis ornant Labella Liliis
Suaviſſimè myrrha cadente roridis.

14 *Sunt Annuli manus politæ ut aurei,*

Cinctis

ſancti Berillis, venter huic Eburneus,
Diſtinctus omni parte Sapphiris cutem,

16 *Clari columnæ Crura ſicut Marmoris,*
Fulgentis Auri quas ſcabella ſuſtinent:
Vt ſumma Libani montis ejus eminet
Vultus, ſuperbis non repreſſior Cedris.

16 *Diſponitur ſuaviſſimis os faucibus,*
Et Labis expers totus eſt amabilis;
Dilectus iſte eſt, iſte primus omnium
Amicus, ò ſanctæ Sionis filiæ.

CAPVT.

CAPVT. Sextum.

Christus perhibens studio Ecclesiæ suæ testimonium, prædicat pulchritudinem spiritualem ejus: desiderium nuptiarum quo tenetur explicat; eamque confirmat vocatione, bonorum quæ ipsi credit celebratione, ac promissione præsentiæ & beneficentiæ suæ usque ad optatissimum nuptiarum diem.

1 QUas in oras se recepit
Cordis Hospes inter omnes
Fœminas pulcherrima,

Quas in oras se recepit
Cordis Hospes, ut sciamus
Te sequentes quærere.

2 Demigravit nunc in Hortum
Spes salutis ad calentum
Areas aromatum:

Ut frutetis nata dona
Sumat, & candore carpat
Picta miro Lilia.

3 Charo ego, mihiq; charus
Mutuæ fidelitatis
Colligamur vinculo:

Vescitur qui se reponens,
Splendidis Narcissus agris
Crescit unde multiplex.

4 Va

4 ¶ *Vrbis instar pulchra Tirzæ*
Oamica es, & decore
Æqua Solymæ nobili:

Cingitur terrore vultus.
Sicut Acies ædinata
Militari gloriâ.

5 *Parcior sis me tuendo,*
Namq́, flammeis ocelli
Me fugarunt spiculis:

Vt caprarum grex, capilli,
Eminentum de feraci
Monte Galaad, diffluunt.

6 *More dentes enitescunt,*
Quo agmen ovium de Lavacro
Littus ascendentium.

Fœtibus quarum Gemellis
Quæq́ ducitur, nec ulla
Inter omnes arida.

7 *Punici ceu crusta mali*
Crinibus velata cultis
Exprimuntur tempora.

8 *Viciès tres sunt Coronâ*
Glorioſæ, Regiarum
Bis decem ultra pellicum.
Et puellis meta nulla.

9 *Sed Columba pura ſordis*

Una

Una mecum particeps:

Unicè dilecta Matri,
Unicè susceptа summam
In parentis gratiam:

Filiæ quam teste visu
Comprobarunt, & beatam
Prædicarunt singulæ,

Et locatæ sorte Regni,
Et jugatæ parte Lecti
Extulerunt Laudibus,

10 † *Ista quænam est, quæ recessu*
Prodit, ac si Aurora flavo
Se cubili suscitans?

Pulchra sicut Luna stellas
Inter ortas, clara celsus
Sol ut Axe flammeo:

Obvios splendore terrens,
Instar eätæ Phalangis
Bellicis Insignibus.

11 *Ad Nucetum fronde vernans*
Cliva per dumosa pronis
Ambulavi passibus:

Ut viderem quanta latis
Signa vallibus futura
Eminerent copiæ:

Vinea & constaret uvis
An tumerent, sive Mala
Germinassent punica.

12 Nil reperto mentis alis
Ociùs raptabar actus
Quam Quadriga nobiles.

13 Redde te jam redde nobis
Shulamitis, redde, vultum
Ut tuamur candidum,

Quid videndum in Sunamite,
Bellico agminum decore
Ni statorum formula?

Caput. Septimum.

Ecclesia audito sponsi erga se studio, se committit ei: quærit signa futurarum nuptiarum, earumque diem exoptat: amicas officij admonet ardentissimum suum amorem in sponsum exponit & ab illo in perpetuum redamari petit.

1 Filia Principis alta Supremi,
Quantus te decor afficit imo
Vel conspicuus corpore calceis,
Gressibus apto more locatis.
Sunt femorum internodia tanquam
Gemmæ, Artificis fabrica docti.

2 Est crateris forma rotundi
Ventris medio, copia grati
Cui non deficit apta liquoris:

Triticeus quasi venter acervus,
Quem circumsita Lilia vallant.

3 *Vbera binis bina gemellis*
Capreis pubescentibus aqua.

4 *Turris sicut Eburnea collum;*
Clari sic formantur ocelli,
Piscinæ ut hærent splendidâ in urbe
Nobilis ad latera ardua Portæ:
Nasus imagine fingitur Arcis,
Libano quæ constructa minaci,
Pulchram suspicit inde Damascum.

5 *Vitibus ut Carmelus abundans*
Cervici caput imminet alta,
Quod coma tanquam Purpura vestit,
Ornamentum Regis opimum,
Dum Loca suspicienda frequentat.

6 *Te Charissima quanta decorat*
Et quam delitiosa venustas?

7 *Palmæ huic corporis æquastâtura est,*
Tumidis Pectoraq́, alma Racemis.

8 *Dixi ascendam culmina palmæ,*
Consequar extensiq́, lacertis,
Ramos illius usq́, virentes:
Et erunt nunc ceu vitis amœna,
Botri Mammillæ tibi, Nasi
Perq, canales aura remissa
Sicut poma cadentia fragrans.

9 *Et quasi vinum insigne Palatum,*
Digni hoc ore saporis Amici:
Quem non efficiens q̄ disertum,
Vix resoluta compede linguæ?

10 *Sum Dilecto ego debita jure,*
Et me vendicat ardor amantis.

11 *Veni cordis summa voluptas,*
Latos egrediamur in agros,
Tempus, & excipiamus uter q̄,
Otia ruris habentibus umbris.

12 *Vt lucessere caperit Eos,*
Surgentes vineta petamus;
Spectatum modo pallia vites
Induerintne comantia, primæ
Exierint an floribus uvæ,
Num se Punica Mala levarint
Plexos imbibituraæ colores:
Inter quæ spectacula tradam
Certorum tibi pignus Amorum.

13 *Mandragoræ spirare potentes,*
Omnimodi q̄ ad limina fructus
Et veteres sunt at q̄ recentes,
Concumulavi quos tibi Chare,
Digniùs acceptura subædes.

Caput. Octavum.

Ecclesia vetus deliberat de vocatione gentium, & partem læti in sua collocat in cooptatione ejus: Christus suum studium erga Ecclesiam exponit & prædicari ab ea cupit: hæc vicissim præsentiam & opem illius implorat.

1 O *Si quis daret additum*
Uno te mihi sanguine,
Ut qui Lacteas sugeres
Eiusdem vbera Matris:

Te, quum finibus Advenam
Nostris aspicerem, osculis
Gratarer, neq; redderent
Me convicia vilem.

2 *Te materna præoccupans*
Intra Limina ducerem;
Illic, quò tibi confertum
Cultum more, doceres:

Præberem officio libens
Vini pocula condita,
Ex malis quoq; Punicis
Pressi cymbia musti.

3 *Pulvini vice sub caput*
Ejus Læva recumberet,
Et complexibus interim
Partes Dextra foveret

4 Vobis

4 *Vobis impero Filiæ*
Queis tellus ſæra patria eſt,
Ne turbetis, ab otio
Nec poſcatis Amicam,
Donec ſponte vocaverit;

5 (*Hæc quam ſit venerabilis,*
Quæ de partibus ultimis
Hùc aſcendit Eremi.

Lætis omnibus affluens
Charo innixa ſuo Duci?)
Sub Arbore ſuſtuli
Pronam poma ferentem:
Illic te Genetrix tua
Orturo occidit optimo
A ſtatu, tua perdidit
Illic Mater honores.

6 † *Signum me velut Annuli*
Centro pectoris imprime,
Et præponito brachio
Fixi more ſigilli:
Namq́, ut mors Amor omnia
Vincit, mentis & æmulus
Fervor cen Tumulus fero
Quid non devorat ore?

Ignes quos vomit ignibus
Orti ſunt calidiſſimis:
Nec quàm flamma potentiæ:
Ejus flamma minoris.

7 *Vndis fervida charitas*

Multis non queat obrui:
Insultent neq; maxima
Ejus flumina ripis:

Si quis quæ tenet omnia
Hausto traderet, impetu,
Æquo nil tamen Arbitro
Æquum ferret Amori.

8 † *Nobis est soror integris*
Nondum prædita viribus,
Nec sat grandia prominent
Factura ubera matrem.

Verso cardine temporum
Quando ad verba vocabitur,
Quid præstabimus utilis
Dignum laude sorori?

9 *Murus si sit idoneis*
Surgens passibus, illius
Nos argentea culmine
Propugnacla struemus.
Si sit, quod patet, ostium;
Nos expansa tuebimur
Illi limina, cedrinis
Compingendo tabellis.

10 *Ego murus, & ubera*
Celsis æmula turribus,
Aspirantis ubi adfui
Tanquam prima favore.

11 *Florentissimus omnium*

Regum

Regum pace ſacerrimâ
Dignam principe vineam
Clara ſede fovebat:

Cui nec vitibus arbores
Grate, cui neq; flumina
Cuſtodire nec additi
Deſuere Coloni:
Quorum quiſq; rependere
Fructus fœnora debuit,
Argento ex ſolidiſſimo
Factis mille Talentis.

12 *Coram me mea vinea eſt*
Semper vultibus obvia;
Mille ex hac tibi pignora
O Rex debita Pacis,
Et ducenta fidelibus
Queis cuſtodia vineæ
Mandatur, datur inſeri
In mercedis honorem.

13 *Tu quæ vere perennibus*
Vitam degis in Hortulis,
Effata ad tua conſluunt
Quotquot te Duce gaudent:

Virtute effice maximâ,
Ut vox nuncia gaudij,
Quo propendere debeant
Surdas attrahat aures.

14 ¶ *O vita mihi charior*

Pennis utere dexteris,
Expansis quibus omnibus
Me tutare periclis:

Tu nec segnius advola
Quam vel Cerva vel Hinnulus,
Montes dum per aromatum
Incursare videntur.

FINIS CANTICORVM.

Gloria, vis, virtus, Laus omnis & una Triuni
Tempore ab hoc tempus detur in omne Deo.

BRITISH MUSEUM 10 JY 94

MAY. the 7th. 1638. Imprimatur *Tho: Wykes.*

Carminum Genera Quibus Author In hoc toto opere usus est.

1 GEnus dicolon distrophon, Versus prior dactylicus Hexameter, alter pentameter hoc modo omnibus noto.

-ᴗᴗ -- -ᴗᴗ -- -ᴗᴗ --
-ᴗᴗ -- - -ᴗᴗ -ᴗᴗ-

Usus est eo per 30. Capita Proverbiorum.

2 Monocolon versus est choriambicus Asclepiadeus tetrameter acatalecticus, ut Horatius. 1. 1 hoc modo.

-- -ᴗᴗ- -ᴗᴗ- ᴗᴗ

Eo utitur Prov. 31.

3 Monocolon versus Heroici hexametri, modo sequenti.

-- -ᴗᴗ -- - - -ᴗᴗ --

Eo utitur per 11. capita Eccles.

4 Dicolon distrophon. Versus primus Heroicus Hexameter.

2 Jambicus Hipponacteus trimeter constans ex puris Jambis, quod semel tantùm legitur feciſſe Horat: hoc modo.

ᴗ- ᴗ- ᴗ- ᴗ- ᴗ- ᴗ

Eo utitur Ecclesiast. Cap. 12.

5 Dicolon tetrastrophon. Versus. 1. 2. 3. Choriambicu-

ambicus tetrameter sive Asclepiadeus. 4. Chor ambicus trimeter sive Glyconnus ut Horatius. 1 6. hoc modo.



Eo vtitur Cantic. 1.

6 Dicolon tetrastrophon. Versus. 1. 2. 3. hendecasyllabus Sapphicus pentameter acatalecticus. 4. Adonius dimeter catalecticus. Ut Horatius. 1. 2. hoc modo.



Eo utitur Cantic. 2.

7 Monocolon. Versus Jambicus dimeter Acatal. Ut Prudentius Cathemer. 1. hoc modo sequenti.



Eo utitur. Cantic. 3.

8 Tricolon tetrastrophon. Versus. 1. 2. dactylicus Alcaicus acatal. 3. Jambicus Archilochius dimeter hypercatalect.
4 Dactylicus Alcaicus acatalect. Ut Horat. 1. 9. hoc modo.



Eo utitur. Cantic. 4.
9 Monocolon. Versus Jambicus Hipponacteus trimeter acatalect: ut Horat. 5. 9. hoc modo.

Eo

- - ∪ - - - ∪ - ∪ - ∪ -

Eo utitur Cantic. 5.

10 Dicolon triſtrophon. Verſus. 1.2. trochaicus dimeter acatal. 3. trochaicus catalecticus. Ut Buchananus Pſal. 66. hoc modo.



- ∪ - - - ∪ - ∪
- ∪ - - - ∪ - ∪
- ∪ ∪∪ - - ∪ -

Eo utitur Cantic. 6.

11 Monocolon. Verſus Anapæſticus Pindaricus dimeter acatal. Ut Boeth. 1.5. Et. Buchan. Pſal. 113. hoc modo.

- ∪∪ - ∪∪ ∪∪ - ∪∪ - vel ſic - ∪∪ - ∪∪ - ∪∪ - -



Eo utitur. Cantic. 7.

12 Dicolon tetraſtrophon. Verſus. 1.2.3. Choriambicus trim. 4. dactylicus Pherecratius. Ut Buchan. Pſal. 116. hoc modo.



- - - ∪∪ - ∪∪
- - - ∪∪ - -

Eo utitur Cantic. 8.

FINIS.